



DE

LEGIBVS MAIESTATIS POPVLI ROMANI LATIS ANTE LEGEM IVLIAM

EXERCITATIO PRIMA



QVAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS CONSENSV

DIE XXX. SEPT. A. C. CIↃIↃCCLXXXVI

H. L. Q. CC

DEFENDENT

CHRISTIANVS GOTTLIEB HAVBOLD

ARTIVM MAGISTER ET IVRIS VTRIVSQVE BACCALAVREVS

ET

CAROLVS FRIDERICVS CVRTIVS

LIPSIENSIS

LEGVM CVLTOR

LIPSIAE

EX OFFICINA SAALBACHIA



DE

LEGIBVS MAIESTATIS POPVLI ROMANI,

QVAE

ANTE LEGEM IVLIAM

LATAE SVNT.

PARS GENERALIS.

§. I.

INSTITVTI RATIO.

Expofituro mihi originem et fucceffionem earum legum, quibus munita eft, inde ab antiquiffimis temporibus vfque ad mutatam fub Imperatoribus reipublicae formam, populi Romani maieftas et fecuritas, multae obuerfantur rationes, quae poffint me ab illuftrando hoc argumento auocare ac confilium, quod cepi, diffuadere. Neque enim ignoro, multos fore noftra in primis aetate, qui, quemadmodum folent infuper habere et liberalis hominis ftudio indignum prorfus cenfere, quidquid antiquitatis prae fe ferat faciem: ita etiam me potiffimum oleum et operam perdidiffe iudicent, quod aufus fim, gentis, cuius fplendor et

A nomen

nomen iam dudum obſoleuerint, leges et inſtituta ex vetuſtatis fontibus repetere eorumque memoriam quodammodo inſtaurare. Verum ingenue fateor, me parum curare horum hominum indignationem, quum nec noſtro ſeculo deſint viri, qui verum cognoſcendis veterum populorum inſtitutis pretium ſtatuant, et ipſi tempus in hac antiquitatis parte collocatum haud inutiliter conſumtum eſſe intelligant. Quae quum ita ſint, ſermo mihi erit ſolummodo cum aequioribus cauſſae meae iudicibus, a quibus quanam ex formula velim iudicari, in limine huius libelli breuibus eſt oſtendendum. Ac primum quidem facili negotio praeuidere poſſum, futuros eſſe ex iis multos, quibus actum acturus videar explicando argumentum, cui neque a nouitatis fauore, neque ab vtilitatis emolumento inſigni vlla accedat commendatio. Quod ad illam enim attinet, non erit quisquam, quem lateant viri immortalis, NICOLAI HIERONYMI GVNDLINGII, in hanc hiſtoriae antiquae partem merita, quippe qui primus, quod quidem ſciam, eruit originem et viciſſitudines earum legum, quibus Romani potiſſimum et Germani maieſtati et ſecuritati ſuae proſpexerunt [a]). Quum vero praeter hunc nemo profecto ſit, qui ſingularem adhibuerit operam delineandae ſucceſſioni vniuerſae earum legum, quas tulit populus Romanus antiquiſſimis temporibus ac libera praeſertim republica de delictis aduerſus maieſtatem ſuam perpetratis [b]); neque ipſe GVNDLINGIVS hanc argumenti partem

ita

a) Inſcriptio libelli Gundlingiani haec eſt: *Singularia ad Legem maieſtatis itemque de ſilentio in hoc crimine*, edit. nouiſſ. Francof. et Lipſ. 1737. 4.

b) Dubito enim, an multa ad illuſtrandum hocce argumentum contulerit, ne dicam, GVNDLINGIO palmam praeripuerit, NICOLAVS PHILIPPVS VAN DER GHIESSEN in Diſſ. *ad Legem Iuliam maieſtatis*, Lugd. B. 1716. cap. 2. quum tantum *attigiſſe* eum leges antiquiores tradat ipſe GEORG. HENR. AYRER, cuius proluſioni primae *de perduellione ſeditioſorum*, Götting. 1748. §. 10. debeo, quidquid de diſſ. cit. mihi innotuit, quum ipſe eam inſpicere nondum potuerim. Reliqui, vt ANTONIVS AVGVSTINVS in Libro *de Legibus et SCtis*, pag. 105. editionis Lugdunenſis (1592. 4.) et paſſim, PAVLVS MANVTIVS *de Legibus Romanis* cap. 21, in GRAEVII *Theſauro antiquitatum Rom.* Tom. II. FRANC. HOTTOMANNVS in *indice Legum Romanarum*, adiecto EIVSDEM *Nouo commentario de verbis iuris*, CAR. SIGONIVS *de iudiciis* Lib. II. c. 29. FRANC. BALDVINVS in

Libris

ita abſoluerit, quin noſtro ſtudio aliquid reliquiſſe videatur: veniam impetrabit ab arbitris ſapientiſſimis iuuenis, ſpicas aliquot poſt tanti viri meſſem lectas eorum iudicio ſubmiſſurus. Cuius quidem negotii quo maiores in ipſo opere deprehendimus nobis obſtare difficultates, eo audacius videbitur multis conſilium noſtrum, quod omnis diſputatio intra ea rei Romanae tempora contineatur, quae, per vetuſtatem ipſam obſcura, nullum aut exiguum certe in conſtituenda criminis aduerſus maieſtatem populi Romani commiſſi indole vſum praebere poſſint. Negant enim, *quemquam eſſe tam patientem, vt velit diſcere, quod in vſu non ſit habiturus.*

Libris II. *ad leges maieſtatis ſ. perduellionis*, quos inſeruit IO. GOTTLIEB HEINECCIVS *Iurisprudentiae Romanae et Atticae* Tom. I. pag. 994—1024. ipſe etiam HEINECCIVS in *Syntagm. Antiquitt. Rom. iurisprud. illuſtrantium* Lib. IIII. tit. 18. §. 46—50. IO. AVG. ERNESTI in *Claue Ciceroniana* ſub *indice legum* ac nouiſſime IO. AVG. BACHIVS in *Hiſtoria iurisprudentiae Romanae* paſſim, aliique, qui de hiſtoria iuris ciuilis ſcripſerunt, hi, inquam, omnes neque totam legum maieſtatis antiquiorum ſucceſſionem continua ſerie propoſuerunt, neque ſingula, quae ad intelligendam earum indolem ac viciſſitudines vetuſtatis monimenta ſuppeditarent, ita exhauſerunt, vt repetita harum ſanctionum inueſtigatione omnino poſſimus ſuperſedere. Exſtat praeter hos, quorum laudibus vel ſola ipſorum nomina ſufficiunt, auctores, alius obſcurioris hominis, LAVRENTII BOCHELLI, libellus, cuius inſcriptio: *Commentarius accuratus in leges Ciceronis de iure publico*, efficit, vt exiſtimem, eſſe etiam in hoc eas certe, quas CICERO ſaepius commemoret, leges de maieſtate illuſtratas. Paucis profecto innotuiſſet hic commentarius, niſi noſtro ſeculo memoriam eius inſtauraſſent GEORG. CHRISTI. GEBAVERVS in Diſſ. *de patria poteſtate*, p m. 36. et ex eo FRIDERICVS PLATNER, decus quondam Muſarum Lipſienſium, in praefatione ad libellum venuſtiſſimum *de legibus ſacratis Romanorum*, qui tamen ſe neque videre, neque adire vnquam potuiſſe BOCHELLVM, eſt conqueſtus. Quod quidem quum etiam mihi acciderit; ita vt, quantacunque ſit Lipſiae librorum copia, vnum fere hunc libellum vndique a me ſummo ſtudio conquiſitum nec inuenire in aliqua ſupellectile libraria, nec inſpicere mihi licuerit: potui et ego inſcriptione falli; vnde fortaſſe, qui meliore fortuna vſus in BOCHELLVM ipſe inciderit, fruſtra quaerat in eo harum legum interpretationem. Interea poſſum nihilominus ipſe lectores de libello hoc aliqua ſaltem ex parte facere certiores: quod nempe nunquam ſigillatim prodierit, ſed adiectus ſit FRANC. RAGVELLI *Legibus politicis ex S. Scripturae libris collectis*, quas publici iuris fecit idem ille LAVR. BOCHELLVS, Pariſ. 1615. 4. Ceterum ab hoc loco non alienum eſſe exiſtimo, vt gratias agam inſignes omnibus, qui mihi per hanc opportunitatem librorum ſuorum copiam ſumma cum humanitate fecerunt, ac bibliothecas ſuas beneuole aperiendo optima quaeque praeſidia et adiumenta ſcripturo ſuppeditarunt.

rus *). Imo videtur his ipsis reipublicae Romanae temporibus magna tribuenda esse vis in explicandis sequioris aeui de maiestate sanctionibus, in primis autem in illustranda celeberrima lege Iulia: tum, quia sine diligentiore antiquiorum legum contemplatione non potest intelligi, quae sit vera criminum maiestatis, perduellionis et vis publicae natura, ac quomodo haec a se differant; tum, quia multa sunt illarum capita in leges recentiores, Iuliamque potissimum, translata, quae non possunt aliunde lucem accipere, nisi a vetustatis, cui originem suam debent, monimentis. Accedit, quod praeter voluptatis sensum, quo omnis afficere solet antiquitas, foecundius profecto nihil vel liberali animo dignius cogitari potest, quam accurata et exacta caussarum inuestigatio, quas diuersi populi per diuersas rerum suarum vicissitudines in definiendis puniendisque delictis, in primis grauioribus, sunt sequuti. Quae quum ita sint, et eligendum nobis esset argumentum, quod et varietatis aliquam prae se ferret commendationem, et ad nostra studia atque in primis iuris disciplinam proxime accederet: animaduertimus, superesse ex historia iurisprudentiae Romanae partem haud exiguam, quae versaretur circa successionem legum maiestatis lege Iulia antiquiorum, quaeque ab interpretibus, ne GVNDLINGIO quidem excepto, nondum esset ita culta, quin possit nostris temporibus singularis illi opera adhiberi. Quamquam autem nos noua aut meliora propadituros esse plane desperamus; partim propter ipsam argumenti indolem, cui recte explicando subueniri nequit sine magno auxiliorum, quae a litteris humanioribus praestantur, apparatu a nostra aetate et virium tenuitate prorsus quidem alieno; partim propter innumeras difficultates, quibus impedita est vt omnis antiquitas, ita etiam rei potissimum Romanae contemplatio: illud certe efficere studebimus, vt voluntatem, aliquid saltem lucis nostro argumento afferendi, nobis haud defuisse, iusti harum rerum arbitri intelligant. Quod quidem antequam

*) PLINIVS *Epist.* L. VIII. ep. 14.

quam suscipiamus, necesse est, vt lectores de consilii, quod in fronte libelli indicauimus, ratione moneamus. Animus est igitur, proponendi in hoc libello vniuersam seriem et successionem earum legum, quibus Romani sub regibus et libera republica maiestati et securitati suae cauerunt. Retulimus autem in earum numerum, quidquid a populo Romano de conseruanda pace domestica et maiestate gentis, de prohibendis coetibus clandestinis ac seditionibus, quibus respublica in discrimen adduceretur, de dignitate et iuribus magistratuum vel singulorum ciuium non imminuendis vel violandis, denique de hostibus reipublicae haud concitandis vel adiuuandis, ante legem Iuliam constitutum inuenimus; licet non omnes huius generis sanctiones soleant ex vsu loquendi ad maiestatis aut perduellionis crimen stricte acceptum pertinere. Quod quidem eo consilio fecimus, vt in conspectu quasi posita sit origo et historia eius delicti, quod per sequioris aeui consuetudinem commune *criminis maiestatis* nomen est consequutum. Erant autem propter breuitatis studium diuersae illae sanctiones sub generali quadam formula comprehendendae; cui quidem accommodatius nihil excogitare potuimus, quam nomen *legum maiestatis*, licet fortasse noua significatione adhibitum, quia, praeter leges de maiestate et perduellione latas, Valerias etiam, Porciam, Semproniam, Plautiam, Luctatiam et alias nonnullas sub hac voce comprehendimus, quas plerique vel ad libertatem ciuium Romanorum, vel ad vim, ex vulgari sententia a proprio maiestatis et perduellionis crimine diuersam, referre solent. Excusabitur forte nouitas dictionis ipsius CICERONIS exemplo, qui in Oratione *pro Coelio* non obscure significat, posse leges de vi latas inter maiestatis leges numerari [d]). Erit vero ipsa inscriptionis ratio altius iam repetenda.

 §. II.

d) Cap. 29. Loquitur enim ibi de lege Luctatia sic: *De vi quaeretis; quae lex ad imperium, ad* maiestatem, *ad statum patriae, ad salutem omnium pertinet: quam legem Q. Catulus, armata dissensione ciuium, reipublicae paene extremis temporibus, tulit: quaeque lex, sedata illa flamma consulatus mei, fumantis reliquias coniurationis exstinxit.* Idem alio loco in *Philipp.* I. c. 9. vim natura sua a maiestatis crimine

§. II.

MAIESTATIS VOCABVLVM EXPLICATVR. CRIMEN MAIESTATIS QVID?

Maiestas auctore FESTO [a]) *a magnitudine* est *dicta*, vel potius ab eo, quod est *maius*, vt recte CASAVBONVS [b]) obseruauit. In definienda autem huius vocabuli vi ac potestate habenda est tum personarum rerumue, quibus tribuitur, tum diuersorum, de quibus dicitur, temporum ratio. Quum enim maiestas in vniuersum sit, amplitudo ac dignitas alicuius rei, vt cum CICERONE [c]) loquamur: solet ea de omnibus personis, rebus locisque praedicari, in quibus singularis conspicitur splendor, grauitas et potestas [d]). Hinc non illepide fingit OVIDIVS [e]) *Maiestatem* Deam, Honore et Reuerentia parentibus satam, quam ita describere pergit [f]):

Adsidet illa Ioui: Iouis est fidissima custos:
Et praestat sine vi sceptra tremenda Ioui.
Venit et in terras: coluerunt Romulus illam
Et Numa; mox alii, tempore quisque suo.

Illa

crimine haud differe, aperte docet his verbis: *quid turpius, quam qui* maiestatem *populi Romani per* vim *minuerit, eum, damnatum iudicio, ad eam ipsam vim reuerti, propter quam sit iure damnatus?* cf. GVIL. BVDAEVS in *Annotatt. ad D.* Lib. XXXXVIII. Tom. II. pag. m. 47.

a) *de Verborum Signific.* h. v.

b) *in* TREBELLII POLLIONIS *Gallienos*, c. 14. PLINIVS enim in *Panegyrico* c. 42. expresse separauit *magnitudinem* a *maiestate*, de Traiano, quem metum criminis maiestatis sustulisse dixerat, sic loquutus: *contentus* fuit *magnitudine*, *qua nulli magis caruerunt, quam, qui sibi maiestatem vindicabant.*

c) *de Oratore* Lib. II. c. 39.

d) Hanc ob caussam *Diis rebusque diuinis* solent plerumque veteres tribuere *maiestatem*, vt CICERO *de Diuinat.* Lib. I. c. 38. *de Nat. Deor.* Lib. II. c. 30. LIVIVS Lib. I. c. 53. QVINCTILIANVS *Inst. Orat.* Lib. III. c. 7. Vnde etiam GRAEVIVS *ad Mil.* c. 30. pro: *nisi qui nullam* vim *ducit numenque diuinum*, legere vult: *nisi qui nullam* maiestatem *ducit*, ita vt maiestas eo loco sit i. q. *diuinitas*; quem quidem vocabuli vsum ibidem pluribus confirmat exemplis. Eodem modo *Glossarium* PHILOXENI maiestatem explicat per θειότητα, et sequiore aeuo Imperatoribus adscribitur *numen et maiestas*, postquam diuinitatis titulos assumserant; de qua quidem appellatione egregia exstat SALMASII disputatio in TREBELLII POLLIONIS *Gallienos*, c. 14. quam infra saepius laudabimus.

e) *Fastor.* Lib. V. v. 25. sqq.

f) *l. c.* v. 45 — 52.

Illa patres in honore pio matresque tuetur;
Illa comes pueris virginibusque venit.
Illa datos fasces commendat eburque curule;
Illa coronatis alta triumphat equis.

Tributur autem a scriptoribus Romanis, in primis quando loquuntur de republica nondum occupata [g]), *maiestas* proprie vniverso populo [h]): ita, vt *imperium* sit in magistratibus, *auctoritas* in senatu,

g) Neque enim in explicanda vocabuli maiestatis notione vlterius ad regum vsque tempora adscendere opus est, partim, quia nullus, quod quidem sciamus, exstat scriptor, qui de regia potestate vocabulum hoc eo sensu adhibuerit, quo tribuitur libera republica vniuerso populo, partim etiam quia re vera regibus non fuit tanta rerum gerendarum auctoritas, quantam Imperatores postea sibi asseruerunt. Habebantur enim sub iis comitia; erant magistratus, quos creare populus poterat; relicta eidem erat legum ferendarum ac belli decernendi potestas; quae omnia non obscure significant, temperatum fuisse regium imperium populi potestate, neque hunc, in primis post Romuli mortem, abdicasse se iuribus ad rempublicam administrandam necessariis. Quae quum ita sint, haud satis commode regibus solis licet tribuere maiestatem, quam certe cum populo diuisam habuerunt; de quo argumento locus est praeclarus apud HENR. IO. ARNTZENIVM *Miscellaneorum* cap. 8. pag. 90. sqq. cf. GE. SCHVBARTVS *de fat. iurispr. Rom.* Ex. I. §. 5 — 10. Neque obstat sententiae nostrae LIVII locus, qui Lib. IIII. c. 2. sub *regia maiestate* intelligit sensu maxime improprio dominationem et superbiam regum, qualem a tribunis plebis affectari clamabant Consules in senatu vociferati, minime vero ipsum potestatis fastigium, quod nunquam reges soli habuerunt. Vtitur itaque hoc vocabulo magis ex inuidia, quam e veritate. In alia omnia autem abit GE. D'ARNAVD *Var. Coniect.* Lib. I. c. 3.

h) Praeter locum CICERONIS *de Orat.* Lib. II. c. 39. quem supra commemorauimus, vbi maiestas definitur per *amplitudinem ac dignitatem ciuitatis*, pertinent huc alia quoque eiusdem testimonia, quorum primum exstat in *Philipp.* III. c. 5. *Tantus autem est consensus municipiorum coloniarumque prouinciae Galliae, vt omnes ad auctoritatem huius ordinis* maiestatemque populi Romani *defendendam conspirasse videantur.* Ibi aperte separatur *maiestas* totius *populi* ab *auctoritate* vnius *ordinis*, i. e. Senatus. Porro *de Inuent.* Lib. II. c. 17. *maiestas* constituitur in *dignitate*, *aut amplitudine*, *aut potestate populi aut eorum*, *quibus populus potestatem dedit;* et *Partit. Orator.* c. 30. eadem explicatur primum per *magnitudinem quandam populi Romani in eius potestate ac iure retinendo*, deinde statim per *imperii atque nominis populi Romani dignitatem.* cf. AVCTOR *ad Herennium* Lib. II. cap. 12. qui bis eodem loco ponit *maiestatem* in *amplitudine ciuitatis*, ad quam refert *suffragia populi* et *magistratus consilium*: item QVINCTILIANVS *Instit. Orat.* Lib. VII. c. 4. qui eam *in imperio* esse *atque omni populi Romani dignitate* testatur. Ita etiam intelligenda est *maiestas* in antiqua foederis formula, qua gentes in inferiorem conditionem detrusae iubentur *maiestatem populi Romani*

ſenatu, *poteſtas* in plebe, *maieſtas* autem in toto populo, ſub cuius nomine hic omnes ordines ac ciues comprehenduntur [i]). Quae quidem fuiſſe vnicuique ordini et vniuerſo populo peculiaria et diſtincta a ſe inuicem iura, docemur per CICERONEM [k]), qui hunc in modum ſcribit: *ita ſe res habet, vt, ſi ſenatus dominus ſit publici conſilii, quodque is creuerit, defendant omnes; et, ſi ordines reliqui principis ordinis conſilio rempublicam gubernari velint, poſſit, ex temperatione iuris, quum poteſtas in populo, auctoritas in ſenatu ſit, teneri ille moderatus et concors ciuitatis ſtatus:* vbi manifeſte per *poteſtatem populi* ſignificat idem, quod aliis locis dixit *maieſtatem.* Summam autem rerum, quam vno maieſtatis verbo notari vidimus, libera republica fuiſſe penes totum populum Romanum, praeterquam quod ex innumeris veterum ſcriptorum locis poteſt probari [l]), id quidem

mani comiter conſeruare: cuius exemplum in foedere cum Gaditanis icto exhibet CICERO *pro Cornelio Balbo* c. 16. Similes formulae leguntur apud LIVIVM Lib. XXXVIII. c. 11. SERVIVM *in Aen.* Lib. III. v. 502. et PROCVLVM in L. 7. D. *de captiuis et poſtlim. reuerſ.* qua de re qui plura legere cupit, adeat BARN. BRISSONIVM *de form. et ſolenn. pop. Rom. verbis* Lib. IIII. c. 49. pag. 343. ſq. ex edit. BACHII, ISM. BVLLIALDVM *de populis fundis* in GRAEVII *theſ. antt. Rom.* T. II. p. 1939. HVG. GROTIVM *de Iure Belli et Pacis* Lib. I. cap. 3. §. 21. GVIL. BVDAEVM in *Annotatt. in Pandectas* ſecundum edit. Lugdunenſem, quae prodiit 1546. 8. Tom. II. p. 46. FRANC. BALDVINVM denique *ad LL. maieſtatis* Lib. I. in HEINECCII *Iurispr. Rom. et Att.* T. I. pag. 1001.

i) Ita expreſſe *populi* vocabulum explicat IVSTINIANVS in §. 4. I. *de I. N. G. et C.*

k) *de Legg.* Lib. III. cap. 12. Rem ipſam optime demonſtrarunt GVIL. BVDAEVS *l. c.* Tom. I. p. 196. ſq. 253. et in primis Tom. II. p. 44. ſqq. EM. MERILLIVS *ad* §. 3. I. *de publ. iudic.* ZACH. HVBER *Diſſertatt.* Lib. II. cap. 2. §. 5. ſqq. pag. 194. ſqq. (Amſtelod. 1721. 4.) ARNTZENIVS *l. c.* cap. 9. pag. m. 100. *Imperium* autem quatenus magiſtratibus fuerit proprium, oſtenderunt praeter multos alios CAR. SIGONIVS *de antiquo iure prouinc.* Lib. III. c. 6 — 14. GVTHERIVS *de offic. dom. Aug.* Lib. I. c. 3. GE. SCHVBARTVS *de fatis iurispr. Rom.* Ex. III. §. 39. p. 528. ſqq. et ZIEGLERVS *de iuribus maieſtatis* Lib. I. cap. 1. §. 10.

l) Ex iis prouocemus ad ſolum CICERONEM, qui in Or. *de haruſp. reſponſ.* c. 6. *populo Romano* tribuit *ſummam poteſtatem omnium rerum, comitiis centuriatis,* et in Or. *pro Rabirio* c. 2. *Quiritum poteſtatem proxime ad Deorum immortalium numen accedere* ſignificat. cf. THEOPHILVS *ad* §. 4. I. *de I. N. G. et C.* qui de vniuerſo populo ita loquitur: κυριώτατός ἐστιν ὁ δῆμος τῶν νομοθετῶν, i. e. *omnium, qui iura conſtituunt, prima poteſtas eſt apud populum.*

dem nemo amplius in dubium vocabit, qui legerit ZACH. HVBERVM elegantissime hac de re disputantem m). Erat igitur *maiestas* hoc tempore complexus eorum iurium, quae magistratibus, senatui et plebi, tanquam singulis populi Romani partibus, essent propria; quaeque ad vniuersum reipublicae corpus translata et communi nomine comprehensa efficaciorem constituerent splendoris, qualis esset in toto populo, dignitatem. Postquam vero summa rerum ad vnum peruenit, cui, quidquid antea ad singulorum ordinum et totius populi iura spectauerat, per imperatoriam dignitatem est commissum n): fieri non potuit, quin etiam, formula, qua summum splendoris et potestatis fastigium in toto populo hactenus conspicuum significaretur, in *Imperatoris* personam translata, ei soli *maiestas* tribueretur o). Factum hoc est in primis per potesta-

m) *c. l.* §. 5. sqq. pag. 194. sqq.

n) Quod quidem quomodo paullatim a Sullae temporibus euenerit, egregie exposuit GE. SCHVBARTVS *l. c.* Ex. III. §. 29—34. p. 493. sqq. Vtrum vero a *Lege regia* repetenda sit plenissimae Imperatorum potestatis origo, nec ne; non attinet hoc loco disquirere. Hoc saltem monebimus, nobis optime placuisse sententiam CHRISTIANI DANIELIS BECKII, VIRI EXCELLENTISSIMI, qui in *epistola gratulatoria* Lips. 1780. 4. scripta media incessit via, ac neque lege expressa imperatoriam dignitatem constitutam aut Augusto eiusque successoribus per eam omnem potestatis plenitudinem delatam fuisse, neque VLPIANVM in L. 1. D. *de Constitt. Pr.* aut TRIBONIANVM in §. 6. I. *de I. N. G. et C.* et L. 7. C. *de vet. iur. enucl.* finxisse *legem regiam*, sed vtrumque tantummodo improprie loquutum et duplici modo imperium in Imperatores collatum fuisse, tum, quod summorum magistratuum vis eis tribueretur, tum quod per plura SCta Augusto eiusque successoribus variae imperii partes demandarentur, ex temporum rationibus demonstrauit.

o) Neque enim tristes pristinae libertatis vmbrae, quas Imperatores boni senatui populoque reliquerunt, quasque diligenter collegit GER. NOODT *Obseruatt.* Lib. I. cap. 3. mouent nos, vt in viri summi sententiam discedamus et populi iura Imperatorum potestate haud inferiora fuisse statuamus. Aut enim haec exempla ita sunt comparata, vt iis Imperatores salua imperii sui plenitudine facillime abdicare se possent, aut tantummodo sub bonis principibus locum habuerunt, qui his artibus vsi sunt ad plebem deliniendam et dominationi magis magisque adsuefaciendam. Imperatores quidem quemadmodum iura populi, in primis circa leges ferendas, paullatim imminuerint et sibi solis vindicauerint, egregie ostendit ARNTZENIVS *l. c.* cap 11. pag. 116. sqq. Post Antoninorum autem tempora constat, ne vmbram quidem consilii popularis Imperatores, manu militari fretos, populo reliquisse, nisi huc referri velis solam po-

 puli



potestatem tribunitiam, quam Augustus et eius successores callido profecto consilio susceperunt, vt maior ipsorum personis accederet sanctitas et veneratio p), quamque TACITVS q) merito appellat *summi fastigii vocabulum, quod Augustus repererit, ne regis aut dictatoris nomen adsumeret, ac tamen appellatione aliqua cetera imperia praemineret.* Quamquam autem re ipsa summam potestatem, quae libera republica diceretur maiestas populi Romani, penes Imperatores fuisse certum est et indubitatum: tantum tamen abest, vt existimemus, Imperatores asseruisse sibi statim ab initio *maiestatis* nomen, tanquam titulum et honorem suae dignitati proprium, quemadmodum fecisse id sequioris aeui principes, in primis a Constantini M. tempore, demonstrauit PANCIROLVS r); vt potius Augustum aliosque bonos principes, ab omni verborum honore, quem

puli Romani appellationem, quam, tanquam speciem pristinae reipublicae, etiam a sequioris aeui principibus seruatam fuisse, exemplis docuit IAC. GOTHOFREDVS in *Comm. ad L. 3. Cod. Th. ad L. Cornel. de Sicar.* edit. RITTER. Tom. III. p. 102. Ita etiam in L. 1. §. 1. D. *ad L. Iuliam mai.* committi dicitur maiestatis crimen *aduersus* populum Romanum *vel aduersus securitatem eius*, et in L. vlt. *eod.* perduellionis reus is vocatur, qui hostili animo *aduersus rempublicam* vel principem animatus est. cf. VLR. HVBERI *Digressiones Iustinianeae* Lib. I. cap. 32. §. vlt. et ZACH. HVBERI *Dissertat.* Lib. II. cap. 2. §. vlt.

p) De potestate tribunitia Imperatorum Romanorum egerunt VLR. OBRECHTVS in Diss. *de tribunitia Caesarum Romanorum potestate.* Argentor. 1678. et in EIVSD. *Academicis*, n. 22. CHRIST. GOTTL. SCHWARZIVS in binis Disputt. *de Augustorum Caesarumque Rom. tribunitia potestate*, Alt. 1715. 4. et *de numeranda tribunitia potestate Augustorum Caesarumque Rom.* ibid. 1721. 4. STEPH. VINANDVS PIGHIVS in *Annalibus Rom. ad A. V. C.* 730. Tom. III. p. 514. HENR. DODWELLVS in *Praelectionibus Camdenianis*, prael. 12. p. 417. sqq. et potissimum prael. 19. p. 583. sqq. GVTHERIVS *l. c.* Lib. I. c. 39. et GE. SCHVBARTVS in libro saepius laudato *de fatis iurisprudentiae Romanae* Ex. III. §. 34. p. 507. sqq. qui simul in hoc Augusti inuento prima criminis maiestatis, quatenus aduersus Imperatorum personas committeretur, vestigia detexit. Erat autem potestas tribunitia Augustorum auctior multo et amplior, quam qualis fuerat libera republica, quemadmodum iidem auctores docuerunt.

q) *Annal.* Lib. III. c. 56. Neque placet nobis GVTHERII coniectura, qui *l. c.* pro *praemineret* legendum censet *praemuniret*, quum nihilominus dignitas reliquis omnibus superior a TACITO intelligatur, quae per verbum *praemuniret* exsulat. Confirmat receptam lectionem iam *summi fastigii vocabulum.*

r) in *Thesauro Variarum Lectionum* Lib. I. cap. 2.

quem populo concederent, alienos, etiam hoc verbo abſtinuiſſe, quum de ſe aut domo ſua loquerentur, firmiter ſtatuamus. Quod vero, qui de iis ſcripſerunt, iam tunc temporis frequenter maieſtatis titulo vſi ſint, id noſtram quidem ſententiam haud infringit, tum quia iure ipſis hanc dignitatis appellationem tribuere poterant, tum etiam, quia ex conſuetudine illius aeui ſollicite conquirebant, quidquid principibus placere poſſe ſperabant. Ita SVETONIVS ſcribit [s]), Auguſtum, quod milites non appellaret commilitones, *ambitioſius id exiſtimaſſe, quam aut ratio militaris, aut temporum quies, aut ſua domusque ſuae maieſtas poſtularet;* et de Veſpaſiano haec habet [t]): *auctoritas et quaſi maieſtas quaedam, vt ſcilicet inopinato et adhuc nouo principi, deerat: haec quoque acceſſit.* Verum ſequioris aeui principes praeter maieſtatis titulum, qui ipſis fortaſſe leuior videbatur, nec dignitati ſuae ſatis conueniens, numinis quoque honores ſibi vindicare non dubitauerunt, cuius rei

ſ) in *vita Auguſti* c. 25.

t) in *vita Veſpaſiani* c. 7. Plura exempla attulit CASAVBONVS in TREBELLII POLLIONIS *Gallienos* c. 14. Ceterum illud non praetermittendum eſſe cenſemus, quod ex hoc TREBELLII POLLIONIS loco quidam viri docti male colligere voluerunt, deſiiſſe homines, qui aetate illius ſcriptoris viuerent, *maieſtatem* de domo Auguſta dicere, eamque potius ad vnamquamque dignitatem transferre coepiſſe, diuinitatis titulis ab Impp. aſſumtis. Refutauit hunc errorem SALMASIVS in *Commentario ad l. c.* atque ſatis ingenioſe docuit, duplicem fuiſſe *maieſtatis* ſub Impp. ſequioribus ſignificationem: vnam, qua intelligeretur pondus et grauitas et magnitudo quaedam coli aeſtimarique digna in principe, honoſque eximius cum veneratione iunctus, qui iure deberetur ſupremae poteſtati; qualis olim dicta fuerit maieſtas populi Romani: alteram, quae TREBELLII POLLIONIS aetate primum in vſu eſſe coepiſſet, quaque deſignaretur ipſa imperii dignitas, propter quam quis dici poſſet Auguſtus aut Caeſar pro diuerſo dignitatis ſeu *βασιλείας* gradu: quemadmodum dignitas conſularis faceret Conſulem et praetoria Praetorem. Confirmat hanc poſteriorem vocabuli ſignificationem aliis TREBELLII locis, vt in *Gallienis* c. 10. et in *XXX. tyrannis* c. 21. et pergit demonſtrare, nunquam, etiam diuinitatis titulis aſſumtis, deſiiſſe maieſtatis appellationem in principibus: quod patet iam ex formula in antiquis monimentis obuia: *N. M. Q. E. D.* hoc eſt: *numini maieſtatique eius deuotus.* Neque nos dubitamus in tanti viri ſententiam diſcedere, niſi quod in hoc illi aſſentiri non poſſumus, quod imperatorum aeuo neget tributum eſſe aliis dignitatibus, ac nominatim magiſtratibus maioribus, e. g. Praetoribus, titulum maieſtatis. Imo hoc factum eſſe, quamuis improprie, aeque vt libera republica, ſtatim probabimus.



innumera exſtant veterum ſcriptorum atque etiam vtriusque Codicis teſtimonia u).

Haec de *propria maieſtatis ſignificatione* ſufficiant: iam, ad quasnam perſonas vel res *improprie* ea transferatur, paucis diſquiramus. Ac primum quidem maieſtas ſolet a veteribus tribui hominibus ſingulis, quibus propter virtutis eximiae admirationem aut rerum geſtarum gloriam debetur honor ſingularis cum veneratione quadam coniunctus: quo ſenſu integrum caput habes apud VALERIVM MAXIMVM x), et ſaepius a CICERONE, LIVIO aliisque ſcriptoribus hoc vocabulum adhibetur. Deinde transfertur ad eos, quibus iam natura monente peculiaris exhibenda eſt reuerentia et cum pudore iuncta verecundia, vt: *maieſtas pueritiae* apud PLINIVM y) et *maieſtas matronarum* apud LIVIVM z); cui notioni reſpondet graecum αἰδώς. Porro frequentiſſime de omnibus perſonis dicitur, penes quas ſingularis eſt poteſtas et auctoritas; ſiue ſint patresfamilias a), ſiue magi-

u) Praeter formulam, cuius modo mentionem fecimus, praeſto ſunt exempla, quae ſequuntur, ex vtroque Codice depromta: *noſtrum numen* legitur in L. 34. C. *de appellatt.* et in L. 2. C. *de tempp. et reparatt. appellatt. coeleſte oraculum* in L. 10. C. *de SS. eccleſ.* L. 9. Cod. Th. *de iurisdict. et vbi quis* etc. L. 2. Cod. Th. *quis in gradu praef.* et in L. 17. Cod. Th. *de haeret. ſacri afflatus* in L. 6. C. *de diu. reſcript. noſtra aeternitas* in L. vlt. C. *de quadriennii praeſcr.* ſub fin L. 2. C. *de fabricenſibus* (Lib. XI.) *noſtra perennitas* in L. 14. C. *de SS. eccleſ.* L. 4. Cod. Th. *de denunt.* et in L. 31. Cod. Th. *de operibus publ.*

x) Lib. II. cap. 10. vbi ea dicitur eſſe *clarorum virorum ſine tribunalium faſtigio, ſine apparitorum miniſterio, potens in ſua amplitudine obtinenda;* et mox: *longus et beatus honor ſine honore.* Eodem ſenſu legitur *paterna maieſtas* apud VELLEIVM PATERCVLVM Lib. I. c. 10. cf. CASAVBONVS *l. c.*

y) Lib. VIIII. c. 36. ſect. 60. quocum apprime conuenit IVVENALIS illud (Sat. XIIII. v. 47.) *Maxima debetur puero reuerentia.*

z) Lib. XXXIIII. c. 2.

a) Hinc patria poteſtas vocatur a LIVIO Lib. IIII. c. 45. QVINCTILIANO *Declam.* 376. ac VALERIO MAX. Lib. VII. c. 7. *patria maieſtas*, tanquam familiaris magiſtratus in patre conſtitutus cum iure gladii, vt cum IANO VINC. GRAVINA *Orig. iur. ciu.* Lib. II. § 25. pag. 174. ed. MASCOV. loquamur: quamobcauſſam etiam patresfamilias ab VLPIANO *fragm.* tit. IIII. §. 1. dicuntur *familiarum ſuarum principes.* cf. de hac formula THEOD. MARCILII *Interpretamentum Legis XII. tabb.* c. 24. p. m. 93. ABR. A KERKRAAD Diſſ. *de iure patrio* p. 16 CHR. VLR. GRVPEN Tract. *de Vxore Romana*, cap.

magiſtratus [b]), ſiue integra collegia [c]). Denique ſolet etiam nonnunquam maieſtas proferri ad res inanimas, quibus ineſſe creditur ſanctitatis aliqua ſpecies, aut cum dignitate coniuncta grauitas, vt locis [d]), legibus [e]), orationi [f]).

Quorſum vero omnis haec de vi et vſu vocabuli maieſtatis diſputatio? Nempe vt intelligi poſſit, quae ſit, certe ante Legem Iuliam, indoles et natura eius delicti, quod ſub nomine *imminutae maieſtatis* venit, ac cuius hiſtoriam ex antiquitatis monimentis eruere inſtituimus. Quo quidem conſilio optimum ſequamur interpretem ipſum CICERONEM [g]), qui *maieſtatem minuere* ait eſſe *de dignitate aut amplitudine aut poteſtate populi, aut eorum, quibus populus poteſtatem dedit, aliquid derogare.* Neque enim in vſu erat libera republica dicere *laeſam maieſtatem*, quod egregie obſeruauit GVILIELMVS BVDAEVS [h]).

 Iam

cap. 2. §. 2. et IO. GOTTL. HEINECCIVS ad BARN. BRISSONIVM *de Verb. Signific. v. maieſtas.* Alia ex ratione, ſed etiam cum reſpectu ad poteſtatem et imperium domeſticum tribuitur a LIVIO Lib. XXXIIII. c. 2. patrifamilias in vxorem *maieſtas;* ibi enim Cato: *ſi in ſua quiſque noſtrum matrefamilias, Quirites, ius et* maieſtatem viri *retinere inſtituiſſet, minus cum vniuerſis feminis negotii haberemus.*

b) Ita legimus non ſolum apud CICERONEM in Or. *contra Piſonem* cap. 11. et Philipp. XIII. c. 9. *maieſtatem conſulis*, et apud LIVIVM Lib. II. c. 57. *maieſtatem conſularem;* vt et *dictatoriam* apud EVNDEM Lib. IIII. c. 14; ſed ipſe etiam PAVLVS in L. 33. D. *de iniur.* tribuit eam *magiſtratui*, et ſpeciatim *Praetori* in L. 11. in fin. D. *de iuſt. et iur.* ac L. 9. D. *de iurisdict.* cf. CASP. ZIEGLERI tr. *de iuribus maieſtatis* Lib. I. c. 1. vnde aperte colligi poteſt, ſub Imperatoribus aeque ac libera republica magiſtratibus, quamquam improprie, adſcriptam fuiſſe maieſtatem, quod SALMASIVS *l. c.* temere negauerat. Pugnat pro noſtra ſententia etiam SVETONII locus in *Tiberio* c. 30. et IAC. GVTHERIVS *de offic. dom. Aug.* Lib. I. c. 19.

c) *Senatui* hoc ſenſu attribuunt maieſtatem LIVIVS Lib. IIII. c. 2. bis, et Lib. XXII. c. 3. SVETONIVS *l. c.* FLORVS Lib. I. c. 5. et PLINIVS *Ep.* Lib. VIII. ep. 6.

d) *Loci maieſtatem* dixit LIVIVS Lib. I. c. 53. et *nemoris* CLAVDIANVS *in Conſ. Prob. et Olyb.* v. 126.

e) *Maieſtas legum* occurrit apud LIVIVM Lib. XXII. c. 3. et *ſanctionis* in L. 80. Cod. Th. *de decurionibus.*

f) Ita loquuntur CICERO *de Amicit.* c. 25. et QVINCTILIANVS *Inſtit Or.* Lib. I. c. 6.

g) *de Inuent. rhetor.* Lib. II. c. 17. Similia loca ſunt apud EVNDEM *Partit. orat.* c. 30. *de Orat.* Lib. II. c. 39. AVCTOREM *Rhetoricorum ad Herennium* Lib. II. c. 12. et IVLIVM SEVERIANVM in *praeceptis artis rhetoricae* pag. 308. inter *antiquos Rhetores Latinos ex bibl.* FRANC. PITHOEI, Pariſ. 1599. 4.

h) *Annotatt. in D.* Tom. II. pag. m. 47 ſq.



Iam vero ſingulas huius delicti ſpecies, quales inde ab origine reipublicae vſque ad Legem Iuliam obtinuerint, anticipare, quum ſingulae maieſtatis leges commodiorem ſuppeditent huic argumento illuſtrando occaſionem, aeque eſſet intempeſtiuum, ac ſi hoc loco vellemus diſquirere, quomodo tam per Legem Iuliam, quam ſequiore aeuo ſub principibus limites eius ſint prolati. Significauimus enim iam in limine huius libelli, omnem noſtram diſputationem contineri intra vetuſtiora reipublicae Romanae tempora, ac finem huius ſcriptiunculae in eo tantum verſari, vt, quid ante Legem Iuliam de maieſtatis crimine antiquitas ſanxerit, non, quid poſt eam obtinuerit, doceamus. Quamquam vero, quemadmodum alio loco manifeſte probabimus, tantum abeſt, vt eius nomen iam inde a principio in vſu fuiſſe ſtatuamus, vt potius huius origo ad exeuntem fere reipublicae libertatem referenda eſſe videatur: res ipſa tamen profecto et olim ſemper obtinuit; ita vt omni aetate maximum videretur et atrociſſimum facinus eſſe, quod aduerſus reipublicae ſplendorem, dignitatem aut ſalutem committeretur. Quare nos quidem, vt breuitati conſuleremus, non dubitauimus, huius diſſertationis inſcriptionem a maieſtatis legibus repetere, ſub quibus quid intelligi velimus, in §. antecedente indicauimus. Nihilominus neceſſarium eſſe exiſtimamus, addere quaedam de variis huius delicti nominibus, ne in conſilii noſtri ratione fluctuare videamur. Comprehendimus igitur ſub crimine maieſtatis etiam illud, quod vulgo ſub *perduellionis* nomine intelligitur, quodque, quatenus libera republica a crimine maieſtatis differat, in peculiari huius commentationis capite, cuius expoſitionem in aliud tempus differre inſtituimus, ex noſtra ſententia explicabitur. Praeterea patet ex deſcriptione legum maieſtatis, quam in §. ſuperiore poſuimus, referri a nobis in illarum numerum etiam eas, quae poſtea nouum ac ſingulare delicti genus, *vim* puta, conſtituerunt; quae tamen natura ſua a maieſtatis crimine, quale hodie intelligimus, nihil differt. Denique etiam ipſius delicti, cuius leges mox ſigillatim illuſtrabimus, variae leguntur appellationes, quarum nonnullas hic appo-

nere placet [i]). Sic LIVIVS [k]) *soluere maiestatem* dicit, cui opponit ipse alio loco *retinere maiestatem* [l]); item: *minuere magistratum populi Romani* [m]); CICERO: *imminuere imperii ius* [n]); *imminuere existimationem atque auctoritatem nominis populi Romani* [o]); AMMIANVS MARCELLINVS [p]): *pulsare maiestatem;* quae omnia eodem redeunt, et ad maiestatis crimen pertinent. Graecis quidem, quando de Romanis legibus loquuntur, plerumque est καθοσιώσεως ἔγκλημα, quod ex glossis obseruauit SALMASIVS [q]), et HARMENOPVLI [r]) auctoritate potest confirmari; generale autem nomen: προδοσία. Tandem illud quoque monendum esse censemus, comparari hoc delictum saepius propter atrocitatem suam cum *parricidio* [s]), et eadem ex caussa sub Imperatoribus *sacrilegii* instar haberi coepisse [t]).

§. III.

i) Collegit multas BVDAEVS *l. c.* pag. 45. sqq.

k) Lib. XXII. c. 42.

l) Lib. XXXIIII. c. 2. cf. CICERO in *Orat.* c. 29. Eodem sensu occurrit: *constituere maiestatem*, h. e. labantem confirmare, in loco concionis SALLVSTIANAE B. I. c. 31. *maiores parandi iuris et maiestatis constituendae gratia, bis, per secessionem, armati Auentinum occupauere.*

m) Lib. IIII. c. 24. cf. CICERO *in Verrem* Act. II. Lib. I. c. 33. *cur imminuisti ius legationis?* vbi ASCONIVS: *qui potestatem suam in administrando non defenderit, imminuti magistratus, veluti maiestatis laesae reus est.*

n) *in Verr.* Act. II. Lib. IIII. c. 9.

o) *ibid.* c. 27.

p) Lib. XVIIII. c. 12.

q) in TREBELLII POLLIONIS *Gallieno* c 14.

r) *Promt. iur.* Lib. I. Tit. II. §. 36. et 56. atque aliis locis.

s) Ita FLORVS Lib. IIII. c. 1. de coniuratione Catilinaria: *Fuluia, vilissimum scortum, sed* parricidii *innocens;* CICERO *Catil.* I. c. 12. de Catilina: *hoc* parricida *ciuium interfecto:* conf. *Philipp.* II. c. 7. vbi: *parricidium patriae.* Caussam huius appellationis egregie explicant ZACH. HVBER *Dissert.* Lib. III. c. 2. §. 24. et IVSTVS ZINZERLING in *Criticorum iuuenilium promulsf.* cap. 1. in IO. HERM. SCHMINCKII *Syntagmate Critico* (Marburgi, 1717. 4.) pag. 199.

t) Exempla sunt in L. 1. D. *ad L. Iul. mai.* L. 5. C. *de diu. rescript.* L. 2. et 3. C. *de crim. sacrilegii;* L. 1. Cod. Th. *si quis pecun. conf.* L. 6. Cod. Th. *de bonis proscript.* L. 4. Cod. Th. *de domest. et protect.* Hinc vocatur etiam a TERTVLLIANO in *apologet.* c. 35. *sacrilegium secundum*: cf. ANT. MATTHAEI *de Criminibus* Comm. ad Lib. XXXXVIII. D. Tit. II. pag. 219. sq. Ceterum eadem de similitudine, quae intercedit inter sacrilegium et crimen maiestatis, opinio etiam apud Athenienses obtinuit, quippe qui sacrilegos et proditores eadem lege eodemque modo puniri voluerunt: teste IO. MEVRSIO in *Themide Attica* Lib. II. cap. 2. in IAC. GRONOVII *thes. antt. gr.* Vol. V. pag. 1967. sq.

§. III.

GRAECORVM, IN PRIMIS ATHENIENSIVM, LEGES MAIESTATIS RECENSENTVR.

Quum nihil cogitari poſſit aut propter vtilitatem foecundius, aut propter varietatem ſuauius, quam conferre inter ſe et comparare varios diuerſorum populorum mores et inſtituta: profecto non videtur aliena eſſe ab initio ipſius diſſertationis breuis aliqua de Graecorum circa crimen maieſtatis legibus praefatio, quae aditum faciat ad cognoſcendas priſcas Romanorum hac de re ſanctiones. Neque enim erit quiſquam rerum ab omni antiquitate geſtarum adeo ignarus, vt ex Graecorum, in primis Athenienſium, legibus ac conſuetudinibus vberrimos in Romana iurisprudentia fructus percipi poſſe neget [a]); quum notiſſimum ſit, maximam Quirites legum ſuarum partem e Graeco ſolo in Latium tranſtuliſſe. Miſſis igitur reliquarum ex vetuſtioribus gentium de delicto illo ſanctionibus, quarum paucae tantummodo ad noſtram memoriam peruenerunt [b]), hoc ſtatim obſeruare liceat, communem videri fuiſſe apud omnes Graeciae ciuitates poenam proditorum patriae, denegatam intra fines earum ſepulturam. Quod quidem non obſcure colligi poteſt ex aliquo DIODORI SICVLI loco [c]), vbi communem narrat eſſe omnibus Graecis hanc conſuetudinem, vt ſacrilegorum corpora inſepulta iacere ſinerent. Sacrilegos autem et proditores eadem lege et poena apud Graecos affectos eſſe conſtat:

a) In promtu eſt exemplum capitis XII. tabularum e Solonis legibus explicati a CICERONE *de Legg.* Lib. II. c. 23. et eiusdem teſtimonium maxime honorificum in *Or. pro Flacco*, c. 26. *Adſunt Athenienſes, vnde humanitas, doctrina, religio, fruges, iura, leges ortae atque in omnes terras diſtributae putantur.*

b) Sic ex DIODORO SICVLO Lib. I. cap. 77. p. m. 89. conſtat, apud *Aegyptios* iis, qui inimicis arcana reipublicae conſilia prodidiſſent, linguam fuiſſe exciſam: τῶν μὲν τὰ ἀπόῤῥητα τοῖς πολεμίοις ἀπαγγειλάντων ἐπέταττεν ὁ νόμος ἐκτέμνεσθαι τὴν γλῶτταν. cf. GOGVET *Origines legum, artium et litterarum* germanice factae a GE. CHPH. HAMBERGERO, Tom. I. Lib. I. c. 1. pag. 57.

c) Lib. XVI. c. 25. παρὰ πᾶσι τοῖς Ἕλλησι κοινὸς νόμος ἐστὶν, ἀτάφους ῥίπτεσθαι τοὺς ἱεροσύλους.

conſtat [d]): quidni igitur etiam circa proditores ac patriae hoſtes omnes Graeciae ciuitates eundem morem ſeruaſſe ſtatuamus; praeſertim quum de ſingulis hoc probare non difficile ſit [e])? Ita apud Athenienſes expreſſam fuiſſe legem, vt ne, qui vrbem prodidiſſet, in Attica ſepeliretur, diſcimus non ſolum e XENOPHONTIS loco laudato, ſed etiam ex exemplis, quae ſequuntur. Phocionis quidem, qui damnatus fuerat proditionis, corpus extra Atticae confinia portari decretum, ac nefas exiſtimatum eſt, in eius rogo ignem accendi: teſtibus PLVTARCHO [f]), DIODORO SICVLO [g]), CORNELIO NEPOTE [h]) et VALERIO MAXIMO [i]). Antiphontis et

d) Praeter locum ex MEVRSIO ſupra citatum patet hoc e XENOPHONTIS *Hiſtoria Gr.* Lib. I. c. 7. §. 10. *Κατὰ τȣ̃τον τὸν νόμον κρίνατε, ὅς ἐϛιν ἐπὶ τοῖς ἱεροσύλοις καὶ προδόταις, ἐάν τις ἢ τὴν πόλιν προδιδῷ, ἢ τὰ ἱερὰ κλέπτῃ — μὴ ταφῆναι ἐν τῇ Ἀττικῇ.* cf. SAMVEL. PETITI *Commentarius in Leges Atticas* Lib VIII. tit. 4. §. 4. et in notis, in HEINECCII *Iurisprudentia Romana et Attica*, Tom. III. p. 672. et IO. DE MAVREGNAVLT Diſſ. *de flagellationibus, ſiue cruciatibus, ante capitalia ſupplicia apud veteres Graecos*, c. 3. §. 2. in GERH. OELRICHS *Theſ. Diſſertt. Belgic.* Vol. II. Tom. III. pag. 228. ſqq. Fuit enim haec Graecis religio, vt vtrique, ſacrilegi et proditores, hoſtes haberentur: illi quidem vniuerſi generis humani, hi autem imperii, ſub quo degerent.

e) Loquuntur etiam de hac conſuetudine in vniuerſum SYRIANVS *in Hermogenem*: *νόμος, τȣ̃ προδότȣ μηδὲν εἶναι μνημεῖον*, DIO CHRYSOSTOMVS *in Rhodiaca*, Vol. I. p. 612. ed. REISK. *καθάπερ οἶμαι, τὸ μὴ θάπτεσθαι τὰς προδότας*, et THVCYDIDES Lib. I. c. 138. *ȣ̓ γὰρ ἐξῆν θάπτειν, ὡς ἐπὶ προδοσίᾳ φεύγοντος.* Ex recentioribus ſingula ſepulturae hoſtibus domeſticis denegatae exempla afferunt IO. KIRCHMANNVS in app. *ad librum de funeribus Romanorum* cap. 4. IO. POTTERVS *Archaeologiae Graecae* Lib. IIII. c. I. MEVRSIVS *l. c.* PETITVS *l. c.* et CHRISTOPH. FRID. WOLLE, VIR ILLVSTRIS, in Diſſ. I. *de damnata memoria* cap. 5. §. 1.

f) in *Phocione* c. penult. *ἔδοξε καὶ τὸ σῶμα τȣ̃ Φωκίωνος ἐξορίσαι, καὶ μηδὲ πῦρ ἐναῦσαι μηδένα πρὸς τὴν ταφὴν Ἀθηναίων.*

g) Lib. XVIII. p. m. 641. *Διὰ δὲ τῆς τȣ̃ κοινεῖȣ πόσεως κατὰ τὸ πάτριον ἔθος τὸν βίον καταλύσαντες, ἐῤῥίφησαν ἄταφοι πάντες ἐκ τῶν τῆς Ἀττικῆς ὅρων. ὁ μὲν οὖν Φωκίων καὶ οἱ μετ' αὐτȣ̃ διαβληθέντες, τοιαύτην ἔσχον τὴν τȣ̃ βίȣ καταστροφήν.*

h) in *Phocione* c. vlt. *In hoc tantum fuit odium multitudinis, vt nemo liber cum ſit auſus ſepelire. Itaque a ſeruis ſepultus eſt.*

i) Lib. V. c. 3. *Phocion — poſt obitum nullam Atticae regionis, quae oſſibus eius iniiceretur, glebulam inuenit: iuſſus extra fines proiici, intra quos optimus ciuis vixerat.*

et Hyperidis cadauera eandem ſubiiſſe poenam, tradit PLVTARCHVS [k]). Quid, quod Themiſtoclis quoque, proditionis cauſſa profugi, oſſa ex Magneſia peſtis arcendae cauſſa acceſita non palam, ſed furtim humi ſunt condita [l])? Tantum autem fuit proditorum apud Athenienſes odium, vt vel eorum oſſa, qui poſt mortem aut ſepulturam demum huius criminis eſſent damnati, effoſſa extra Atticae fines portarentur. Sumtum quidem eſt hoc ſupplicium de Phrynichi reliquiis, auctore LYCVRGO [m]), qui hunc in modum ſcribit: ψηφίζεται ὁ δῆμος, Κριτίȣ εἰπόντος, τὸν μὲν νεκρὸν κρίνειν προδοσίας, κἂν δόξῃ προδότης ὢν, ἐν τῇ χώρᾳ μὴ τεθάφθαι, τά τε ὀςᾶ αὐτοῦ ἀνορύξαι, καὶ ἐξορίσαι ἔξω τῆς Ἀττικῆς. ὅπως ἂν μὴ κέηται ἐν τῇ χώρᾳ μηδὲ τὰ ὀςᾶ τοῦ τὴν χώραν καὶ τὴν πόλιν προδιδόντος. Haec de Athenienſibus. Lacedaemonios autem eandem obſeruaſſe conſuetudinem circa proditorum cadauera, docet exemplum Pauſaniae, qui, teſte AELIANO [n]), hoſtilis aduerſus ſuos animi conuictus et ad mortem cruciatus, inhumatus iacuit; neque Arcades ab hac lege receſſiſſe diſcimus e PAVSANIA [o]), qui eos Ariſtocratem, proditionis conuictum, inhumatum extra confinia ſua abieciſſe tradit. Tandem etiam tyrannorum hanc poenam fuiſſe, probari poteſt exemplo Alexandri, Pheraeorum tyranni, ab vxore ſua e viuis

k) in *vitis X. oratorum* Vol. VIIII. pag. 375. ed. REISK.

l) Narrant rem THVCYDIDES Lib. I. c. 138. et CORNELIVS NEPOS in *vita Themiſtoclis*, c. vlt.

m) in *Or. contra Leocratem* inter *Oratt. gr. ex edit.* REISKII Vol. IIII. pag. 218. Simile exemplum narrat PLVTARCHVS in *Solone* c. 12. Vol. I. p. 335. edit. REISK.

n) *Var. Hiſtor.* Lib. IIII. c. 7. Λακεδαιμόνιοι γοῦν Παυσανίαν Μηδίσαντα οὐ μόνον λιμῷ ἀπέκτειναν, ἀλλὰ γὰρ καὶ τὸν νεκρὸν ἐξέβαλον αὐτȣ̃ ἐκτὸς τῶν ὅρων. cf. ad *h. l.* SCHEFFERVS et KVHNIVS. Nec obſtat locus DIODORI SICVLI Lib. XI. pag. 35. qui corpus Pauſaniae cognatis conceſſum fuiſſe refert, vt terra obrueretur; partim, quia poena lege ſtatuta in gratiam amicorum facile mitigari potuit, ſalua ipſa legis ſanctione, partim etiam, quia nihilominus ex opinione illius aetatis cum iſta corporum humatione magna coniuncta fuit ignominia, quippe quae non terra condi, ſed igne abſumi tunc temporis conſueuerunt: KIRCHMANNVS *l. c.* p. m. 479.

o) in *Meſſenicis* p. 259. ed. SYLB. τὸν δὲ Ἀριςοκράτην οἱ Ἀρκάδες καταλιθώσαντες, τὸν μὲν τῶν ὅρων ἐκτὸς ἐκβάλλȣσιν ἄταφον. cf. IDEM in *Arcadicis*, pag. 463

viuis ſublati, cuius cadauer a Pheraeis magna cum contumelia proiectum eſt et conculcatum [p]). Iam, ſi in cauſſas huius conſuetudinis fere ab vniuerſa Graecia receptae inquiramus, inueniemus eas tum in extremo odio, quo perſequuti ſunt Graeci omnes, qui aduerſus patriam quidquam molirentur, ita vt ne veſtigia quidem eorum aut indicia vlla ſupereſſe voluerint [q]); tum in opinione illius aetatis, qua animae inſepultorum miſere vagari et errare putabantur [r]). Accedit, quod ex vulgari hominum ſuperſtitione nullum ſupplici genus ad abſterrendum eos ab atrociſſimis facinoribus efficacius viſum eſt, quam quod vel poſt obitum ad manes et corpora mortuorum pertineret, eorumque memoriam in contumeliam verteret [ſ]).

Haec quidem de conſuetudine omnibus Graecis communi: iam de peculiaribus nonnullis Athenienſium circa maieſtatis crimen inſtitutis videamus. Ac primum quidem conſtat, varias

eius

p) PLVTARCHVS in *Pelopida* c. vlt. τῷ μὲν τάχει τῆς τελευτῆς, πρώτερον ἴσως ἢ προσῆκεν ἦν, ἀποθανόντα. τῷ δὲ μόνον, ἢ πρῶτον τυράννων ὑπὸ γυναικὸς ἰδίας ἀπολέσθαι, καὶ τῇ μετὰ θάνατον αἰκίᾳ τοῦ σώματος, ῥιφέντος καὶ πατηθέντος ὑπὸ τῶν Φεραίων, ἄξια πεπονθέναι δόξαντα τῶν παρανομημάτων. Vetuſtiſſimum quidem fuiſſe hunc morem corpora tyrannorum proiiciendi, patet iam ex eo, quod in *Odyſſ.* γ'. v. 256. ſqq. eius mentio fit, et ſimilem poenam his, qui patriam defendere detrectant, minitantur Hector *Iliad.* ο'. v. 348. ſqq. et Agamemnon *ib.* β'. v. 391. ſqq. cf. POTTERVS *l. c.*

q) Vnde DIO CHRYSOSTOMVS *l. c.* καθάπερ οἶμαι, τὸ μὴ θάπτεσθαι τοὺς προδότας, ὅπως μηδὲν ᾖ σημεῖον ἀνδρὸς πονηροῦ. Eandem rationem affert SYRIANVS *l. c.*

r) Multa huius opinionis exempla in antiquitate occurrunt. Nota eſt Patrocli oratio, qua Achillem in ſomnis monuit, vt corpus ſuum terrae mandare properaret (*Iliad* ψ'. v. 69. ſqq.): nota Polydori ἀκλαύστου καὶ ἀτάφου vmbra in EVRIPIDIS *Hecuba:* nota VIRGILII (*Aen.* Lib. VI. v. 325. ſqq.) *inops inhumataque turba*, quae *centum errat annos, volitatque littora circum.* cf. TERTVLLIANVS *de anima* c. 56. *Creditum eſt, inſepultos non ante ad inferos redigi, quam iuſta perceperint;* et IAC. GVTHERIVS *de iure manium* Lib. I. c. 11. et Lib. II. c. 16.

ſ) Quibus modis perduellium memoria apud Graecos et Romanos damnari ſolita fuerit, erudite pro more ſuo oſtendit VIR ILLVSTRIS, CHPH. FRID. WOLLE, in Diſſertatt. binis, quas ſupra iam laudauimus, *de damnata memoria*, Lipſ. 1776. habitis. Ceterum, quatenus Romani haec Graecorum inſtituta fuerint imitati, alio loco docebimus.



eius fuiſſe ſpecies, et modo leniorem, modo acerbiorem poenam ſtatutam reperiri. In proditorum igitur numero habiti ſunt maxime ii, qui popularem ſtatum euerterent, aut, euerſo eo, magiſtratum gererent. Verba legis apud ANDOCIDEM in *Orat. de Myſteriis* leguntur haec: *ἐάν τις δημοκρατίαν καταλύῃ τὴν Ἀθήνησιν, ἢ ἀρχήν τινα ἄρχῃ καταλελυμένης τῆς δημοκρατίας, πολέμιος ἔστω Ἀθηναίων, καὶ νηποινεὶ τεθνάτω. καὶ τὰ χρήματα αὐτοῦ δημόσια ἔστω, καὶ τῆς θεοῦ τὸ ἐπιδέκατον. ὁ δὲ ἀποκτείνας τὸν ταῦτα ποιήσαντα, καὶ ὁ συμβουλεύσας, ὅσιος ἔστω καὶ εὐαγὴς* [t]). Iam quid ſit in hac lege: *καταλύειν τὴν δημοκρατίαν*, de eo quidem ridicula maxime pugna orta eſt inter SALMASIVM [u]) et DESIDERIVM HERALDVM [x]), quorum ille putauit eſſe: *concutere imperium populi*, hic: *diſſoluere et euertere democratiae ſtatum;* neutro vere ab alterius mente alieno, ſi feruorem diſputandi veritati poſtponere voluiſſent. In vtraque enim verſione latet etiam notio conatus nondum perfecti et pernicioſorum conſiliorum, quae aduerſus popularem ſtatum inita ſunt, licet effectus plenus nondum reſponderit. Quod autem HERALDVS addidit, *τὸ καταλύειν τὴν δημοκρατίαν* inuoluere etiam vim coecam et clandeſtinam, quae furtim ad euertendam rempublicam tendat: id ſane neſcio an non poſſit aeque ſub *concutiendi* vocabulo intelligi, quum vtrumque ſit quaſſare pacem domeſticam et democratiae interitum minari. Quidquid ſit, manifeſte poſſumus ex loco illo ANDOCIDIS colligere, fuiſſe Athenis legem latam in eos, qui formam ſtatus popularis ſemel fundatam, ſiue palam, ſiue clandeſtinis artibus euerterint, aut certe euertere auſi ſint. Nam conatum ſolum, quid, quod meram cogitationem ſuffeciſſe

t) in *Oratt. gr.* ex edit. REISKII Vol. IIII. p. 48. Meminit etiam huius legis LYCVRGVS *in Leocratem* ibid. p. 223. *ἐψηφίσαντο γὰρ καὶ ὤμοσαν, ἐάν τις τυραννίδι ἐπιθῆται, ἢ τὴν πόλιν προδιδῷ, ἢ τὸν δῆμον καταλύῃ, τὸν αἰσθανόμενον καθαρὸν εἶναι ἀποκτείναντα. καὶ κρεῖττον ἔδοξεν αὐτοῖς τοὺς τὴν ἐναντίαν ἔχοντας τεθνάναι μᾶλλον, ἢ πειραθέντας, μετὰ ἀληθείας αὐτοὺς δουλεύειν. ἀρχὴν γὰρ ᾤοντο οὕτω δεῖν ζῆν τοὺς πολίτας, ὥστε μηδ' εἰς ὑποψίαν ἐλθεῖν μηδένα τούτων τῶν ἀδικημάτων.*

u) *Miſcell. Defenſſ.* c. 10. p. 296. 297.

x) *Obſeruatt. ad Ius Atticum et Rom.* Lib. III. c. 16. p. 264. ſqq.

ſuffeciſſe ad poenam huius ſanctionis, patet non ſolum ex ipſo verbo: καταλύῃ, quod infectum etiam conſilium denotat (alias enim reponendum foret κατέλυσεν, ſi de ſolo perfecto ſermo eſſet), et ex loco LYCVRGI citato; ſed etiam in primis e MAXIMO TYRIO y), qui expreſſe proditionem lege puniri ait, etiamſi effectus nondum ſit ſequutus. Deinde illud etiam nefas fuiſſe ex hac lege intelligimus, ſi quis euerſa democratia magiſtratum gereret: quod quidem eadem poena, qua ipſa democratiae euerſio, eſt prohibitum. Fuit autem lex haec inſcripta columnae, ante curiam, in qua ſenatus habebatur, poſitae: vt ii, penes quos eſſent ſumma reipublicae conſilia, ſemper eam ante oculos haberent z). Alia ſe nobis offert ſanctio aduerſus hos, qui concurſum in populo excitaſſent, aut coetus illicitos et coniurationes aduerſus rempublicam agitaſſent, cuius verba exhibet DEMOSTHENES a), mentem autem clarius exprimit SVLPITIVS VICTOR b): *Pauper orator et diues, inimici. Diues fortiter fecit: petiuit pauperis oratoris linguam, praemii nomine accepit poſtea. Concionante illo fletit in concione pauper*

 et

y) *Diſſert.* XVIII. vulgo II. ſect. 4. pag. 211. ed. MARKLAND. κολάζει ὁ νόμος — καὶ προδότην τὸν μελλήσαντα, κἂν μὴ πράξῃ. cf. AELIANVS *V. H.* Lib. XIIII. c. 28. CVIACIVS *Obſſ.* Lib. XV. c. 25. HERALDVS *l. c.* c. 12. pag. 239. et MEVRSIVS *l. c.* in GRONOVII *theſ. antt. gr.* Vol. V. pag. 1968.

z) Diſcimus hoc non ſolum ex ANDOCIDIS *loco citato*, ed. REISK. Vol. IIII. p. 46. ὁ δὲ νόμος τί κελεύει, ὃς ἐν τῇ στήλῃ ἔμπροσθέν ἐστι τοῦ βουλευτηρίου, ſed etiam e LYCVRGI oratione ſaepius laudata, qui pag. 224. ed. REISK. ita pergit: ταῦτα, ὦ ἄνδρες, ἔγραψαν εἰς τὴν στήλην, καὶ ταύτην ἔστησαν εἰς τὸ βουλευτήριον ὑπόμνημα τοῖς καθ' ἑκάστην ἡμέραν συνιοῦσιν, καὶ βουλευομένοις ὑπὲρ τῆς πατρίδος, ὡς δεῖ πρὸς τοιούτους ἔχειν. Intelligimus autem hic ſub βουλευτηρίῳ locum, vbi ſenatus Quingentorum conuenit, qui κατ' ἐξοχὴν ita dictus videtur, teſte PAVSANIA in *Atticis* pag. 6. ed. SYLB. καὶ πλησίον τῶν πεντακοσίων καλουμένων βουλευτήριον, οἳ βουλεύουσιν ἐνιαυτὸν Ἀθηναίοις. cf. IO. GOTTFR. HAVPTMANNI *libellus de Andocide, Oratore Attico*, c. 8. in *Oratt. gr.* ex ed. REISKII Vol. VIII. p. 592. ſqq. Ceterum de hoc legum ſeruandarum more nonnulla habet IOH. MEVRSIVS in *Solone* c. 24. in GRONOV. *theſ.* Vol. V. p. 2043. ſqq.

a) ἐν τῷ κατὰ Στεφάνου ψευδομ. β'. Vol. II. p. 1137. ed. REISK. ἐάν τις — ἑταιρείαν συνιστῇ ἐπὶ καταλύσει τοῦ δήμου — τούτων εἶναι τὰς γραφὰς πρὸς τοὺς θεσμοθέτας.

b) in *Inſtitt. Orat.* p. 267. ex edit. PITHOEI. cf. MEVRSII *Themis Attica* Lib. II. c. 8. PETITVS *ad LL. Atticas*, Lib. IIII. tit. 4. p. 427.

 

et fleuit. Lapidatione facta, occisus est diues: reus est pauper coetus et concursus facti, secundum legem illam: qui coetum et concursum fecerit, capite puniatur. Simile exemplum attulit SOPATER *in Hermogenem*, qui reum huius criminis dixit *κρίνεσθαι δημοκοπίας* [c]). PLATO [d]) igitur non sine caussa perduellem et hostem ciuitatis infestissimum (*πάντων πολεμιώτατον ὅλη τῇ πόλει*) vocat eum, qui factionibus rempublicam opprimit, aut seditiones excitat: *ὃς ἑταιρείαις τὴν πόλιν ὑπήκοον ποιῇ — καὶ στάσιν ἐγείρων παρανομῇ.* Quomodo vero, obiicient hoc loco multi, prohibere potuit Solon seditiones domesticas et populi secessiones, quas ipse approbasse potius et adiuuisse videtur lege in eos lata, qui in dissidio ciuium intestino neutri se parti adiunxissent? Certe PLVTARCHVS [e]), CICERO [f]) et GELLIVS [g]) hanc fuisse Solonis sanctionem vno omnes ore tradunt. Ac profecto fatemur hoc argumentum esse ita speciosum, vt sapientissimi legislatoris nomen si non obscurare, at certe suspi-

c) *Δημοκοπία*, quae et *ὀχλοκοπία*, secundum HENR. STEPHANVM in *thesauro Linguae Graecae* v. *δημοκόπος* proprie est nimia popularitas et dicitur de eo, qui populum veluti concutit, ei obrepens arte aliqua, e. g. muneribus gladiatoriis et spectaculis. Clarius et ad nostrum scopum accommodatius BVDAEVS h. v. qui *δημοκόπον* dicit eum, qui artibus istis popularibus populum sibi seruire perpellit. Neuter tamen concursus excitati notione hoc vocabulum auxit.

d) *de Legg.* Lib. VIIII. Tom. II. p. 856. ed. STEPH. ad quem locum egregie commentatus est DESIDER. HERALDVS *Obseruatt. ad Ius Att. et Rom.* Lib. III. c. 9. pag. 228 sqq.

e) in *vita Solonis* c. 20. Vol. I p. 354. ed. REISK *τῶν δ' ἄλλων αὐτοῦ νόμων, ἴδιος μὲν μάλιστα καὶ παράδοξος ὁ κελεύων ἄτιμον εἶναι τὸν ἐν στάσει μηδετέρας μερίδος γενόμενον*: et *de sera numinis vindicta* Vol. VIII. p. 175. ed. REISK. *παραλογώτατον δὲ τὸ τοῦ Σόλωνος, ἄτιμον εἶναι τὸν ἐν στάσει πόλεως μηδετέρᾳ μερίδι προσθέμενον, μηδὲ συστασιάσαντα.*

f) *ad Att.* Lib. X. ep. I. *Ego vero Solonis, popularis tui, vt puto, etiam mei, legem negligam, qui capite sanxit, si qui in seditione non alterius vtrius partis fuisset.*

g) *Noct. Att.* Lib. II. c. 12. *In legibus Solonis illis antiquissimis, quae Athenis axibus ligneis incisae sunt, quasque latas ab eo Athenienses, vt sempiternae manerent, poenis et religionibus sanxerant, legem esse Aristoteles refert scriptam ad hanc sententiam: si ob discordiam dissensionemque seditio atque discessio populi in duas partes fieret, et ob caussam irritatis animis vtrimque arma caperentur, pugnaretur que, tum qui in eo tempore in eoque casu ciuilis discordiae non alterutri parti sese adiunxerit, sed solitarius separatusque a communi malo ciuitatis secesserit, is domo, patria, fortunisque omnibus careto; exsul extorrisque esto.*

ſuſpicione adſpergere videatur. Quid enim aliud hac lege intendi exiſtimemus, quam vt diſcordiae ciuili et ſeditionibus fores aperiantur? Sed ſalua res eſt, modo audiamus optimum huius cauſſae patronum, PLVTARCHVM ipſum [h]), qui hanc rationem affert: *βούλεται δ' ὡς ἔοικε, μὴ ἀπαθῶς, μηδ' ἀναισθήτως ἔχειν πρὸς τὸ κοινὸν, ἐν ἀσφαλεῖ θέμενον τὰ οἰκεῖα, καὶ τῷ μὴ συναλγεῖν, μηδὲ συννοσεῖν τῇ πατρίδι, καλλωπιζόμενον. ἀλλ' αὐτόθεν τοῖς τὰ βελτίω καὶ δικαιότερα πράττουσι προσθέμενον, συγκινδυνεύειν καὶ βοηθεῖν μᾶλλον, ἢ περιμένειν ἀκινδύνως τὰ τῶν κρατούντων.* Neque enim quidquam viſum eſt periculoſius Soloni in republica, in primis populari (in qua ſingulorum ciuium et vniuerſae ciuitatis commoda plane exaequata ſunt et arctiſſimo inuicem vinculo connexa), quam, ciuibus factione diſtractis, neutri ſe parti admiſcere; quippe quo facto animum a ſalute communi alienum ac ſecurum, quem ne publica quidem fortuna afficere poſſet, putauit declarari. Voluit igitur, vt vnusquiſque ciuium diſcrimen, in quod reſpublica adduceretur, ſibi ipſi imminere ac ſuam cauſſam agi exiſtimaret, eamque, quae iuſtiſſima ſibi videretur pars, ope et auxilio adiuuaret. Quamobcauſſam *non ad augendam, ſed ad deſinendam ſeditionem legem hanc fuiſſe* cum GELLIO [i]) dicemus. *Nam ſi boni omnes, qui in principio coercendae ſeditioni impares fuerint, populumque partitum et amentem non deterruerint, ad alterutram partem diuiſi ſeſe adiunxerint: tum eueniet, vt, quum ſocii partis ſcorſim vtriusque fuerint, eoque partes ab iis, vt maioris auctoritatis viris, temperari ac regi coeperint, concordia per eos potiſſimum reſtitui conciliarique poſſit: dum et ſuos, apud quos ſunt, regunt atque mitificant, et aduerſarios ſeruatos magis cupiunt, quam perditos* [k]). Itaque tantum in auctores ſeditionum, eoſue

h) in *Solone* l. c.

i) *l. c.*

k) Eximie hanc Solonis ſanctionem defendit etiam ERN. CAR. WIELAND, VIR EXCELLENTISSIMVS, in libro, quem inſcripſit: *Geiſt der peinlichen Geſetze,* Tom. II. pag. 21. ſqq. Nec poenitebit huius legis cauſſa adiiſſe IO. TAYLORI *Lectiones Lyſiacas*, cap. II. pag. 325 ſq. ed. REISK. qui ſimul in eo verſatur, vt interpretetur LYSIAM, ius iſtud moribus potius receptum, quam ſcriptis ſancitum fuiſſe, innuentem.



eoſue, qui, pauciores numero, pernicioſis artibus ac clandeſtinis conſiliis vel coniurationibus rempublicam vel partem eius euertere auſi eſſent, animaduerti voluit Solon per illas, quas ſupra commemorauimus, ſanctiones (ſi modo omnes ſunt Solonis, de quo ob cauſſas infra adducendas magnopere dubitamus), non in vniuerſam multitudinem tunc, quum omnis populus in factiones eſſet diſtractus; quas quidem non putauit poſſe meliore modo exſtingui, quam ſi optimum quemque alterutri factionum addicere ſe et auctoritate ſua plebeculae feruorem temperare iuberet. Nulla itaque prorſus erit pugna inter hoc inſtitutum et leges priores, in primis ſi illud addas, neutiquam hic ſermonem eſſe de ſingulis coniurationibus aut etiam ſeditionibus, quibus pars tantum ciuium tranquillitatem publicam inuaderet, ſed de diſſenſionibus inteſtinis magis vniuerſalibus, vt hoc vocabulo vtar, quae, quamquam omnia alia, quam ruinam reipublicae ipſam intenderent, nihilominus omnem multitudinem propter diuerſa conſilia in duas pluresue partes ſibi inuicem contrarias traherent, quaeque Athenis frequentiſſimae eſſent, vt ex hiſtoria patet. Sufficiat afferre vnum Alcibiadis et Niciae exemplum, vnde lectores facile colligent, quales a Solone intelligi στάσεις exiſtimemus. Ille enim, quemadmodum inter omnes conſtat, bellum cum Spartanis ineundum commendauit; Nicias contra pacem ſeruandam ſuaſit: populus inter vtrumque ab initio diuiſus tandem Alcibiadis largitionibus ceſſit. Nulla hic ſeditio: neutri patriae euertendae animus. Vt ad legem ipſam redeamus, diuerſas omnino veterum ſcriptorum ſententiás circa eius poenam deprehendimus. Ac PLVTARCHVS [l]) quidem tradit, *infamia* fuiſſe notatos eos, qui nulli factioni acceſſiſſent; GELLIVS [m]) autem longe grauiorem legis huius affert poenam, *publicationis bonorum* et *exſilii;* CICERO [n]) denique vel *capite ſancitam* fuiſſe narrat. In tanto auctorum

l) *ll. cc.* Conſentit cum PLVTARCHO IOANNES CANTACVZENVS *Hiſtor.* Lib. IIII. c. 13.

m) *l. c.*

n) *l. c.* quem tamen memoria deſtitutum fuiſſe, dum haec ſcriberet, aſſerit IO. MEVRSIVS in *Solone*, c. 15. SAM. PETITVS autem *l. c.* Lib. VIII. tit. 4. p. 670.

CICE-

auctorum dissensu quamquam incertum sit, quaenam sententia ad veritatem proxime accedat: tamen cum aliqua probabilitate e LYSIAE Oratione, quae est κατὰ Φίλωνος δοκιμασίας, colligi posse videtur, veram huius legis poenam fuisse infamiam, et ita PLVTARCHI et IOANNIS CANTACVZENI testimonia confirmari. Ibi enim LYSIAS totus est in eo, vt Philonem ἄτιμον esse probet propterea, quia non steterit a partibus reipublicae per turbulenta eius tempora, quum iam inquilini, quamquam ad id faciendum nullo pacto obligati fuerint, tamen reipublicae succurrissent: τοὺς μετοίκους μὲν, ὅτι, οὐ κατὰ τὸ προσῆκον ἑαυτοῖς, ἐβοήθησαν τῷ δήμῳ, ἐτιμήσατε ἀξίως τῆς πόλεως [o]). Sed satis de his; iam de aliis proditionis speciebus nonnulla addere liceat.

Non solum igitur, qui vrbem ipsam hostibus prodidissent, τοῖς προδόταις sunt adnumerati [p]), sed etiam, qui malis artibus vel ipsi, vel per alios reipublicae nocuissent. Sic Atheniensium quisquis munera accepisset ab alio aut ipse alteri dedisset, aut pollicitationibus alios in perniciem populi vel singuli ciuis corrupisset, quocunque modo id fecisset, infamis est declaratus cum liberis et bonis suis [q]); in primis autem ii, qui ad rempublicam accessissent et corrumpi se passi essent, insuper capitis poena, aut decupli eius, quod accepissent, mulcta sunt affecti [r]). Singularis porro Atheniensibus

CICERONI *capite sanxisse* idem esse vult, quod PLVTARCHO ἄτιμον εἶναι, quae interpretatio nobis quidem admodum dura videtur. Ceterum ad hanc Solonis legem commentati sunt PARDVLPHVS PRATEIVS in *iurisprud. vet.* in EV. OTTONIS *thes. iur. Rom.* Tom. IIII. p. 431. IO. MEVRSIVS in *Themide Attica* Lib. I. c. 12. et in *Solone l. c.* atque SAM. PETITVS *l. c.*

o) edit. REISK. Vol. I. pag. 887.

p) Quam legem expresse memorat XENOPHON in *Historia Graeca* Lib. I. c. 7. §. 10.

q) Discimus integra legis verba e DEMOSTHENIS *Midiana* Vol. I. p. 551. ed. REISK. ἐάν τις Ἀθηναίων λαμβάνῃ παρά τινος, ἢ αὐτὸς διδῷ ἑτέρῳ, ἢ διαφθείρῃ τινὰς ἐπαγγελλόμενος ἐπὶ βλάβῃ τοῦ δήμου, καὶ ἰδίᾳ τινὸς τῶν πολιτῶν, τρόπῳ ἢ μηχανῇ ἡτινιοῦν, ἄτιμος ἔστω καὶ παῖδες καὶ τὰ ἐκείνου. Vult quidem VLPIANVS *ad Midianam*, in DEMOSTHENIS ed. Basil. Tom. V. p. 177. sq. poenam etiam huius legis fuisse capitalem, sed manifeste eam confundit cum illa, quae sequitur.

r) Differt igitur haec sanctio a priore, quod illa ad omnes omnino ciues, haec tantum ad δωροδοκήσαντας pertinuit. Ita enim

 

nienſibus fuit lex, quae iuſſit eum, qui populo, aut ſenatui, aut iudicibus pollicitus quidquam fuerit, neque praeſtiterit, et ita falſa ſpe rempublicam deceperit, publicis iudiciis inſtitutis capite luere. Seruauit nobis hanc ſanctionem DEMOSTHENES [s]) his verbis: ἔςι δὲ δήπου νόμος ὑμῖν, ἐάν τις, ὑποσχόμενός τι, τὸν δῆμον, ἢ τὴν βουλὴν, ἢ δικαςήριον ἐξαπατήσῃ, τὰ ἔσχατα πάσχειν. Iam ſi quaeratur, qualem finem ante oculos habuerit, qui hanc legem conderet: reſpondebimus, nulla profecto re ſtatum popularem vehementius concuti ac tutius euerti poſſe, quam illecebris illis, quibus populus ſpe rerum nouarum deludatur [t]). Quod quum animadverterint ſapientiſſimi legiſlatores, profecto non poſſe melius ſaluti publicae proſpici putauerunt, quam ſi difficillimos redderent conatus illos, quibus populus vana lucri aut mutationis alicuius ſpe deciperetur.

Maxime autem capitale viſum eſt ſemper delictum eius, qui tyrannidem affectaſſet, aut vere iam τύραννος euaſiſſet. In vtrumque enim Solon vltimo ſupplicio animaduerti voluit [u]), quod quidem

enim DINARCHVS *in Demoſthenem* inter *Oratt. gr.* ex ed. REISK. Vol. IIII. pag. 44. περὶ τῶν δωροδοκέντων δύο μόνον τιμήματα πεποιήκασιν, ἢ θάνατον, ἵνα ταύτης τυχὼν τῆς ζημίας ὁ λαβὼν, παράδειγμα γένηται τοῖς ἄλλοις· ἢ δεκαπλᾶν τοῦ ἐξ ἀρχῆς λήμματος τὸ τίμημα τῶν δώρων· ἵνα μὴ λυσιτελὲς ᾖ τοῖς τοῦτο τολμῶσι ποιεῖν. Exemplum, quo δωροδοκία capitalis fuit, exhibet PLVTARCHVS in *Artoxerxe*, Vol. V. pag. 489. ed. REISK. Τιμαγόραν μὲν οὖν διὰ τὴν δωροδοκίαν Ἀθηναῖοι θάνατον κατέγνωσαν. Eſſe autem hoc loco δωροδοκᾶντας eos potiſſimum, qui rempublicam adminiſtrantes dona accepiſſent, ideoque δωροδοκίαν proprie de magiſtratibus dici, docuit poſt HENR. STEPHANVM in *theſauro linguae Graecae*: v. δωροδοκία SAM. PETITVS *l. c.* Lib. V. tit. 7. p. 529. Praeter has poenas alternas videntur nihilominus etiam infamia notati fuiſſe οἱ δωροδοκᾶντες: quod quidem ex ANDOCIDIS *Orat. de Myſteriis* et LYSIAE *extrema Apologia Δωροδ.* probauit SAM. PETITVS *l. c.* vbi plura de vtraque lege inuenies.

s) in *Leptinea* Vol. I. p. 487. ed. REISK. Plura, quae hanc legem exhibent, loca affert SAM. PETITVS *l. c.* Lib. V. tit. 7. p. 528.

t) Notiſſimae ſunt turbae, quas in republica Romana excitarunt rogationes agrariae ac ſpes nouarum tabularum, quibus homines ſeditioſi vſi ſunt ad captandam auram popularem.

u) Propoſuit hanc legem PLVTARCHVS in *Compar. Solonis cum Poplicola* Vol. I. p. 432. ed. REISK. et fuſe eam illuſtrauit SAM. PETITVS *l. c.* Lib. III. tit. 2. pag.

dem, vt infra videbimus, vehementer fuit exacerbatum. Tyrannos autem hoc loco intelligimus, qui in democratia, siue sponte, armata manu aut clandestinis artibus, siue populi consensu, dominationem sibi solis asserunt aut in se transferri patiuntur. Tanta igitur seueritate quum vsae sint Atheniensium leges aduersus proditores et tyrannos ipsos, quomodo eas mitiores fuisse statuamus aduersus hos, qui proditores vel tyrannos ope aut consiliis, aut etiam nudo silentio adiuuarent? Ac LYCVRGVS certe in *Oratione contra Leocratem* (pag. 219. ed. REISK.) commemorat eiusmodi legem his verbis: *τοὺς λόγῳ μόνον τῷ προδότῃ βοηθήσαντας, ταῖς ἐσχάταις τιμωρίαις μετῆλθον.* Hinc PLATO x) secundo post perduelles loco censet esse eos, qui in magnis magistratibus constituti, quamvis ipsi coniurationum participes non fuerint, tamen ex ignauia molitionibus contra rempublicam, siue eas sciuerint, siue non, haud obstitissent nec patriae in discrimen deductae subuenissent. Constat item e XENOPHONTE y), fuisse inter crimina, quae Socrati obiicerentur, etiam illud, quod variis sermonibus incitaverit iuuentutem ad contemnendum praesentem reipublicae statum

tum

2. pag. 313. sqq. Distinguit autem PETITVS ipsos tyrannos, qui vere iam dominationem in se susceperunt, ab iis, qui tyrannidem modo affectarunt; illos enim impune a quocunque ex populo, etiam indicta caussa, necari potuisse, docet ex loco CICERONIS *pro Milone* c. 29. *Graeci homines deorum honores tribuunt iis viris, qui tyrannos necauerunt:* hos vero demum in iudicio conuictos capite plecti solitos existimat propter PLVTARCHI *l. c.* *τὸ δὲ μισοτύραννον ἐν τῷ Ποπλικόλᾳ σφοδρότερον· εἰ γάρ τις ἐπιχειροίη τυραννεῖν, ὁ μὲν [Σόλων] ἁλόντι τὴν δίκην ἐπιτίθησιν, ὁ δὲ καὶ πρὸ τῆς κρίσεως ἀνελεῖν δίδωσι.* Videtur igitur lex Attica ab ANDOCIDE allata et a LYCVRGO *in Leocr.* repetita, quam supra laudauimus, quaeque inter alia hoc quoque sanxit: *ἐάν τις τυραννίδι ἐπιθῆται — τὸν αἰσθανόμενον καθαρὸν εἶναι ἀποκτείναντα*, videtur ea, inquam, non a Solone, sed forte post eum esse lata, quemadmodum iam obseruauit HERALDVS *l. c.* Lib III. c. 12. p. 239.

x) *de Legg.* Lib. VIIII. Tom. II. p. 856. ed. STEPH. *τὸν δὲ κοινωνοῦντα μὲν τῶν τοιούτων μηδενὶ, τῶν μεγίστων δὲ μετέχοντα ἀρχῶν ἐν τῇ πόλει, λεληθότα τε ταῦτα αὐτὸν, ἢ μὴ λεληθότα, δειλίᾳ δ' ὑπὲρ πατρίδος αὐτοῦ μὴ τιμωρούμενον, δεῖ δεύτερον ἡγεῖσθαι τὸν τοιοῦτον πολίτην κάκῃ.* cf. ad *h. l.* HERALDVS *l. c.* Lib. III. c. 9. p. 229. Attulit quidem GVNDLINGIVS in *Singularibus ad Legem maiestatis* c. 3. §. 4. nonnulla silentii in crimine maiestatis apud Graecos puniti exempla, sed PLATONIS locum ignorauit.

y) *Memorabil.* Lib. I. c. 2.

ſtum et quidlibet audendum: τὰς δὲ τοιούτους λόγους ἐπαίρειν, ἔφη (ὁ κατήγορος), τοὺς νέους καταφρονεῖν τῆς καθεστώσης πολιτείας, καὶ ποιεῖν βιαίους.

Praeter has tres delibabimus proditionis ſpecies plane ſingulares, quarum vnam affert LYCVRGVS in *Or. contra Leocratem*: ſcilicet quando quis in difficilibus reipublicae temporibus publici periculi vitandi cauſſa, vrbe et patria relicta, alio migrauiſſet. Sic poſt cladem illam ingentem, quam Athenienſes ad Chaeroneam acceperant, ii, qui vel ipſi vrbe exceſſiſſent, vel familiam, quamquam ad militiam inutilem, alio tranſportaſſent, Areopagi decreto hoſtes publici ſunt declarati et capitali poena affecti [z]). Alterum, quod proditionis loco habebatur, delictum diſcimus e DIOGENE LAERTIO [a]), qui legem fuiſſe tradit, vt, qui primus Athenienſium Aeginam inſulam eſſet ingreſſus, indemnatus capite plecteretur. Cauſſam huius interdicti profecto aliam probabiliorem inuenire non potuimus, quam bellum, quod Aeginetae habuerunt illo tempore, quo Plato in Aeginam adductus ibidem eſt venditus, cum Athenienſibus: quocum apprime conuenire videtur PLVTARCHI [b]) narratio, licet a LAERTII teſtimonio nonnihil diuerſa. Ille

z) LYCVRGVS *l. c.* pag. 177. ἡ μὲν γὰρ ἐπ' Ἀρείῳ πάγῳ βουλὴ — τοὺς φεύγοντας τὴν πατρίδα, καὶ καταλιπόντας τότε, ὡς πολεμίους λαβοῦσα ἀπέκτεινε. Et mox, poſtquam Autolyci hac ex cauſſa capitis damnati exemplum narrauerat, addit: ἐψηφίσατο ἐνόχους εἶναι τῇ προδοσίᾳ τοὺς φεύγοντας τὸν ὑπὲρ τῆς πατρίδος κίνδυνον. Multa, quae ad intelligendam hanc ſanctionem faciunt, congeſſit HERALDVS *l. c.* Lib. III. c. 13. pag. 243.

a) Lib. III. c. 14. κἀκεῖνος ἀγαγὼν αὐτὸν εἰς Αἴγιναν, ἐπίπρασκεν. ὅτε καὶ Χάρμανδρος Χαρμανδρίδου ἐγράψατο αὐτῷ δίκην θανάτου, κατὰ τὸν παρ' αὐτοῖς τεθέντα νόμον, τὸν πρῶτον ἐπιβάντα Ἀθηναίων τῇ νήσῳ, ἄκριτον ἀποθνήσκειν. cf. IO. MEVRSII *Themis Attica* Lib. II. c. 22. in GRONOV. *theſ. antt. gr.* Vol. V. p. 1982.

b) in *vita Dionis* c. 5. Vol. V. p. 265. ed. REISK. διὸ καὶ λέγεται Πόλλις εἰς Αἴγιναν φέρων ἀποδόσθαι Πλάτωνα, πολέμου πρὸς Ἀθηναίους ὄντος αὐτοῖς, καὶ ψηφίσματος, ὅπως ὁ ληφθεὶς Ἀθηναίων ἐν Αἰγίνῃ πιπράσκηται. cf. AEG. MENAGII *Comm.* ad LAERTII *l. c.* Ceterum huic bello et legibus inde ortis occaſionem dediſſe implacabilem aemulationem et inuidiam, qua Athenienſes perſequuti ſunt Aeginetas, quod claſſe et nauium numero cum ipſis olim certaſſent, non obſcure videmur nobis colligere e PLVTARCHI *Themiſtocle* c. 4. Vol. I. p. 446. ed. REISK. EIVSD. *Demoſthene*

Ille enim narrat, Aeginetis fuisse simile plebiscitum, vt, si quis ex Atheniensibus captus esset, is Aeginae venderetur. Itaque non temere videmur nobis hanc legem inter subitas quasi et temporarias numerare, quae tempore belli latae finito eo rursus exoleuerunt. Vltima denique sanctio, quam ad maiestatem imminutam referre licet, a Diopithe Atheniensi lata, ita a SVIDA [c]) proponitur: τὸν ἀπὸ τῦ ἄςεος ἐν Πειραεῖ μείναντα, τῦτον τεθνάναι. Capitale itaque visum est ex hac lege, si quis ex vrbe in Piraeeo pernoctaret; hanc fortasse ob caussam, quod, quum, teste ARISTOTELE [d]), magis populares essent, qui in Piraeeo, quam qui in vrbe habitarent, metuebant Athenienses, ne dissidiis inter vrbanos et Piraeenses ortis reipublicae exitium pararetur [e]). Quae tamen sententia quum intra coniecturarum limites subsistat: ad certiora progressuri, missis, quibus proditioni ac maiestatis crimini domi militiaeque ab Atheniensibus cautum est, legibus, inquiramus in nonnullas perduellionis species, quae *solis militibus* propriae fuerunt.

Ac primo quidem loco recensebimus legem, quam seruauit nobis LYSIAS [f]) his verbis: εἰ μέν τις φρούριόν τι προύδωκεν, ἢ ναῦν, ἢ ςρατόπεδόν τι, ἐν ᾧ μέρος τι ἐτύγχανε τῶν πολιτῶν ὄν, ταῖς ἐσχάταις ἂν ζημίαις ἐζημιοῦτο. Capitis igitur rei fuerunt non solum, qui arcem, aut nauem, aut exercitum prodidissent, sed etiam, qui ordi-

sthene init. PAVSANIA in *Corinth.* c. 71. pag. 139. ed. SYLBVRG. ARISTOTELE *Rhetor.* Lib. III. c. 10. et STRABONE Lib. VIII. p. 576. ed. ALMELOVEEN. cf. CHPH. CELLARII *Notitia orbis antiqui* Lib. II. c. 14. p. 1248. IO. MEVRSIVS in *Piraeeo* c. 8. in GRONOV. *thes.* Vol. V. p. 1939. et IAC. PERIZONIVS in *Notis ad* AELIANI *Var. Hist.* Lib. II. c. 9. Quid mirum igitur, quod vel solum tangere gloriae et imperii maritimi olim aemulum nefas existimarunt Athenienses?

c) in Γεργών et Διοπείθης.

d) *Polit.* Lib. V. cap. 3. cf. MEVRSIVS *l. c.*

e) Hanc certe rationem affert SAM. PETITVS *l. c.* Lib. VIII. tit. 4. p. 671. Constat etiam, saepius fuisse rixas inter vtrosque agitatas et foedus aliquando ictum, cuius meminit LYSIAS *adu. Andocidem* Vol. I. p. 234. sqq. et *adu. Agorat.* Vol. I. pag. 506. ed. REISK. Poterat vero etiam metus ab incendiariis caussa huius legis esse, quia in Piraeeo omne erat rei nauticae et imperii Atheniensium robur, quemadmodum idem PETITVS *l. c.* monet.

f) ἐν τῷ κατὰ Φίλωνος δοκιμασίας, Vol. I. pag. 886. ed. REISK. cf. PETITVS *l. c.* p. 674.

ordinem deseruissent, aut arma abiecissent, aut ad hostes transfugissent. Esse enim in loco aliquo VLPIANI [g]) *αὐτομόλον* eum, qui ab Atheniensibus ad hostes defecisset, obseruauit iam PETITVS [h]); neque nos plura de hac lege addimus, nisi illud, quod impune fuerit *αὐτομολῆσαι* artificibus scenicis, vt ibidem ostenditur. Desertionis vero quemadmodum variae deprehenduntur fuisse species, ita vna semper eademque poena, capitalis nempe, fuit [i]). Tandem quod ad armorum alienationem attinet, seuerius in hoc delictum ab Atheniensibus, quam a Lacedaemoniis reperimus fuisse animaduersum. Apud hos enim, teste PLVTARCHO [k]), qui clypeos abiecissent, infamia notati, qui vero galeas aut loricas, ab omni poena sunt exemti: Athenienses autem *τὸν ἀποδόμενον τὰ ὅπλα καὶ τὴν σκευὴν* non infamia solum, sed mortis etiam poena affecerunt [l]). Eandem statutam quoque fuisse in eos, qui somnum in excubiis cepissent, patet e MARCELLINO, qui *in Hermogenem* sic scribit: *νόμος, τὸν φύλακα μὴ καθεύδειν, ἢ θανάτῳ ζημιοῦσθαι.* Denique nec illa praetermittenda est laesae reipublicae species, cuius reus erat

g) *ad Timocrateam* in DEMOSTHENIS ed. Basil. Tom. V. pag. 237. *εἰ γὰρ ἦν αὐτόμολος, οὐκ ἂν ἔζησεν ὑπὸ Ἀθηναίοις.*

h) *l. c.* p. 674.

i) ARISTOTELES quidem *Ethic. ad Nicom.* Lib. V. c. 1. tria ait esse in militia prohibita: *μὴ λείπειν τὴν τάξιν, μηδὲ φεύγειν, μηδὲ ῥίπτειν τὰ ὅπλα.* Haec omnia iudicasse Athenienses vltimo supplicio digna, docuit MEVRSIVS in *Them. Att.* Lib. I. c. 9. p. 1956. In ipsis vero desertionis speciebus recensendis multus est HERALDVS *l. c.* Lib. III. c. 13. p. 241. sqq. qui hic omnino consulendus. Ceterum etiam Lacedaemoniorum legibus fuga visa est tam turpis ac proditioni similis, vt, qui vulnera in tergo accepisset, insepultus abiiceretur, quemadmodum ex EVSTATHIO *ad Iliad. ε'.* probauit IO. MEVRSIVS *Miscellaneorum Laconicorum* Lib. II. cap. 1. in GRONOV. *thes.* Vol. V. pag. 2350. cf. NIC. CRAGIVS *de republ. Lacedaem.* Lib. III. tab. XII. inst. 11.

k) *Lacon. Apophthegm.* Vol. VI. p. 823. ed. REISK. *ἐρωτήσαντος δέ τινος, διὰ τί τὰς μὲν τὰς ἀσπίδας παρ' αὐτοῖς ἀποβαλόντας ἀτιμοῦσι, τὰς δὲ τὰ κράνη, καὶ τὰς θώρακας, οὐκ ἔτι· ὅτι, ἔφη, ταῦτα μὲν, χάριν ἑαυτῶν περιτίθενται· τὴν δ' ἀσπίδα, τῆς κοινῆς τάξεως ἕνεκα.* cf. MEVRSIVS *l. c.* pag. 2351.

l) Leges, quae huc pertinent, praeclare exposuit MEVRSIVS in *Them. Att.* Lib. I. c. 9. in GRONOV. *thes.* Vol. V. pag. 1956. vnde etiam oppignorari arma nefas fuisse apud Athenienses discimus. cf. IO. TAYLORI *Lectiones Lysiacae* c. 11. p. 316. sq. et 319. sq. ed. REISK. vbi multa leguntur non vulgaria de *ἀστρατείᾳ, λειποταξίᾳ* et *δειλίᾳ*.

erat imperator, qui corpora militum in proelio occiſorum in patriam non reportaſſet m). Tantus enim fuit his, qui in acie cecidiſſent, honos habitus, vt non ſolum ipſi publicis ſumtibus ſepulti ludis et orationibus funebribus ornarentur, ſed liberi etiam eorum a republica alerentur et educarentur n). Quare grauiter in rempublicam peccaſſe viſus eſt imperator, quod, abiectis, quae publica ſepultura exſpectaret, mortuorum cadaueribus, fortiſſimum propugnandae patriae incitamentum ſuſtuliſſet.

Hactenus de iis criminis maieſtatis ſpeciebus, quae in ciues Athenienſes cadebant: ſuperſunt iam duae ſanctiones, quas a prioribus ſeiunximus, quia ad *ſolos peregrinos* pertinuerunt. Prima quidem, quae peregrino murum adſcendenti capitale ſupplicium comminatur, videtur nobis, quidquid dicat SAM. PETITVS o), nihilominus vere Athenis lata, nec ſolummodo in rhetorum ſcholis eſſe conficta. Nititur noſtra ſententia non ſolum multorum ſcriptorum teſtimoniis, qui omnes eiusmodi legem Athenis fuiſſe vno ore tradunt p), ſed etiam communi de murorum ſanctitate opinione: quam, quum apud omnes gentes recepta fuerit, quidni etiam apud Athenienſes, quorum nota eſt religio et ſuperſtitio, obtinuiſſe ſtatuamus? Alteram ſanctionem diſcimus e DINARCHI *Oratione contra Demoſthenem* q), vbi haec verba leguntur: ἢ τὸ γράψαι Ταυροσθένην Ἀθηναῖον εἶναι, τοὺς μὲν αὑτῷ πολίτας κατα-

m) SVLPITIVS VICTOR in *Inſtit. Orat.* pag. 269. ex edit. PITHOEI: *Imperator militum corpora in proelio peremtorum reuehebat in patriam: orta tempeſtate cadauera abiecit. Accuſatur, quod laeſerit rempublicam.*

n) Prolixe hoc argumentum proſequutus eſt MEVRSIVS *l. c.* Lib. I. c. 10. pag. 1957.

o) in *Praefatione ad LL. Atticas*, pag. XVII.

p) Diligenter haec loca congeſſit MEVRSIVS in *Them. Att.* Lib. II. c. 26. in GRONOV. *theſ.* Vol. V. pag. 1985. quare nos eorum repetitione ſuperſedemus, adiecto vno CICERONIS loco *de Orat.* Lib. II. c. 24. *Lex peregrinum vetat in murum adſcendere*, quem MEVRSIVS neglexit. Ceterum, vt hoc obiter moneamus, neque in re ficta, neque in ſeria confictas fuiſſe a rhetoribus leges, aduerſus FABRICII *biblioth. gr.* II. 14, 16. et EIVSD. *Bibl. antiqu.* 15, 6. tuetur HAVPTMANNVS *l. c.* c. 7. pag. 587.

q) inter *Orat. gr.* ex edit. REISKII, Vol. IIII. pag. 34.

καταδουλωσάμενον, τῆς δ' Εὐβοίας ὅλης μετὰ τῦ ἀδελφῦ Καλλίυ προδότην Φιλίππῳ γεγενημένον; ὃν ὐκ ἐῶσιν οἱ νόμοι τῆς Ἀθηναίων χώρας ἐπιβαίνειν· εἰ δὲ μὴ, τοῖς αὐτοῖς ἔνοχον εἶναι κελεύουσιν, οἵσπερ ἄν τις τῶν φευγόντων ἐξ Ἀρείυ πάγυ κατίῃ. Tantum igitur fuit proditorum, etiam exterorum, licet non populo Athenienſi, ſed ſuae ipſi patriae infeſti fuiſſent, apud hos odium, vt a finibus Atticae plane arcerentur, et, ſi intraſſent, eandem poenam ſubirent, quae ab Areopagitis in exſilium miſſos et ſine venia reuerſos maneret. Erat autem haec poena et ipſa capitalis, quod non ſolum diſerte confirmat PETITVS [r]), ſed inde etiam colligi poteſt, quod, quum Areopagitae cognoſcerent de plerisque delictis capitalibus, in primis vero de caede et vulnere voluntario [ſ]), ſolebant plerumque exſilii poenam irrogare; ex quo ſi quis redire auſus eſſet, conſtat eum capitis fuiſſe damnatum [t]).

Ac perduellionis quidem ſpecies hae fuerunt omnes fere capitales, vna vel altera excepta, quam ſuo loco indicauimus. His vnum ſaltem leuius profecto delictum neque capite ſancitum addere placet propterea, quia magnam habet cum *vi publica* Romanorum ſimilitudinem. LVCIANVS [u]) enim ſcribit, mulctam irrogaſſe Solonem ei, qui in vrbe citra neceſſitatem ferro accinctus vel armis inſtructus in publicum prodierit. Voluit ſine dubio hoc interdicto cauere caedibus et ſeditionibus, quas quotidiana armorum geſtatione non parum ali ſciebat [x]); idque iam ab antiquiſſimis temporibus obſeruatum fuiſſe ab Athenienſibus, e THVCYDIDE [y]) conſtat.

Reſtat,

r) *l. c.* Lib. VIII. tit. 4. pag. 674.

ſ) IO. MEVRSII *Areopagus* c. 9. in GRONOV. *theſ.* Vol. V. p. 2102.

t) Demonſtrauit hoc ex loco aliquo LYSIAE *in Andocidem* IO. MEVRSIVS in *Them. Att.* Lib. I. c. 16. in GRONOV. *theſ.* Vol. V. p. 1963.

u) in *Anacharſide* c. 34. καὶ πρόστιμόν γ' ἐςὶν, ὅςις ἐν ἄςει σιδηροφορείη, μηδὲν δέον, ἢ ὅπλα ἐξενέγκοι εἰς τὸ δημόσιον.

x) EVSTATHIVS ad *Iliad.* α'. (p. 83) ὅρα δὲ ἐν τοῖς κατὰ τὸν Ἀχιλλέα, ὅτι τε ὅπλα ἐφόρυν οἱ παλαιοὶ καὶ ἐν ταῖς ἀγοραῖς. καὶ ὅτι ὐκ ἀγαθὸν, ἦν ἐνόπλυς ὄντας βυλεύεσθαι. μικρῦ γὰρ ἂν μέγα συνέβη κακὸν, τοῦ Ἀχιλλέως χρησαμένυ τῷ ξίφει. διὸ καὶ ἐκωλύθη παρὰ τοῖς ὕςερον ἡ ἁπλῶς ὅπη τύχῃ ὁπλοφορία, διὰ τὰ ἐξ αὐτῆς κακά.

y) Lib. I. c. 6. ἐν τοῖς πρῶτοι δὲ Ἀθηναῖοι τὸν σίδηρον κατέθεντο. cf. PETITVS

Reſtat, vt de accuſationibus, iudiciorum ordine et poenis, quibus haec delicta apud Athenienſes notata fuerunt, pauca diſſeramus. Quod ad *accuſationem* primo attinet, varia eius et diuerſa omnino legimus apud veteres nomina, quae ipſa diuerſas ſpecies innuere videntur. Grauiſſimum quidem accuſationis genus fuit εἰςαγγελία, de cuius natura quum omnia diligenter collegerit, quae apud priſcos reperiri poſſent, DESIDERIVS HERALDVS [z]), nolumus praeter breuem eius deſcriptionem quidquam de ea vlterius addere. Erat igitur, ceu ex loco POLLVCIS [a]) oſtendit vir doctiſſimus, εἰςαγγελία de criminibus publicis, non tamen omnibus, ſed tantum de ἀγράφοις. Hoc ſenſu opponitur τῇ γραφῇ, quae eſt, vt cum eodem loquamur, *publicorum quorundam criminum accuſatio, quibus certa poena non erat legibus conſtituta; quaeque ſcripto erat comprehendenda, et ad magiſtratum, ad cuius curam criminis illius exſequutio pertinebat, deferenda.* Hinc accuſator, qui τῇ γραφῇ vtebatur, poenam ipſe aeſtimabat, quod vocabatur τιμᾶν: quo facto, reo licebat aeſtimationem hanc coram iudicio minuere et ἀντιτιμᾶν [b]). Iam, quae fuerint Athenienſibus ἄγραφα δημόσια ἀδικήματα, facile patebit: ſcilicet ea delicta publica, de quibus nulla eſſet γραφὴ, quamquam legibus ſeuere eſſent coercita [c]). Non igitur

PETITVS *l. c.* Lib. VIII. tit. 4. pag. 671. et *ad eum* WESSELINGIVS. Errant itaque rhetores recentiores et cum iis MEVRSIVS in *Them. Att.* Lib. II. c. 28. p. 1967. qui de nocturno tantum tempore hanc legem acceperunt.

z) *Obſeruatt. ad Ius Att. et Rom.* Lib. III. c. 7—9. pag. 220—230. Magna ei de εἰςαγγελίας notione lis fuit cum SALMASIO, temere hanc cum crimine ſtellionatus confundente; cuius controverſiae hiſtoriam expoſuit PET. WESSELINGIVS in *animaduerſſ. ad* SAM. PETITI *LL. Atticas* Lib. VII. tit. 13. pag. 651.

a) Lib. VIII. c. 6. quem quidem locum corruptum reſtituit, emendauit ac ſuo more interpretatus eſt HERALDVS *l. c.*

b) Optime hoc docuit HERALDVS *l. c.* Lib. III. c. 1. pag. 193. Fuit vero nonnunquam etiam γραφὴ, licet mulcta eſſet legibus determinata, ſed tantum in poenis alternis, e. g. δωροδοκίας: HERALDVS *l. c.* Lib. III. c. 3. p. 201. ſq. quare ob id ipſum γραφῆς natura haud mutatur.

c) Diſtinxit iam SCHOLIASTES *ad* DEMOSTHENIS *Or. de Cherſon.* p. 58. ed. MOREL. (Pariſ. 1580. fol.). γραφὴν ab εἰςαγγελία his verbis: εἰςαγγελία δὲ καὶ γραφὴ διαφέρει· εἰςαγγελία μὲν γὰρ ἐπὶ τῶν μεγάλων καὶ δημοσίων ἀδικημάτων γίνεται· γραφὴ δὲ καὶ ἐπὶ μικρῶν. Notauit hunc locum WESSE-



igitur erunt maleficia, de quibus nullae omnino leges scriptae sunt, sed potius ea, quorum accusatio propter determinatam legibus poenam non potest per γραφὴν institui. Possunt tamen eadem nihilominus quodammodo etiam inscripta maleficia dici, περὶ ὧν νόμος ἐ γέγραπται (quemadmodum interpretati sunt Grammatici graeci, POLLVX, HESYCHIVS, alii), sed eo sensu, quatenus nullae exstant leges, quibus eorum criminum exsequendorum et in iudicium deducendorum cura peculiari alicui magistratui sit mandata [d]). Clare pro nostra sententia loquitur HARPOCRATION [e]), qui εἰσαγγελίαν locum habere vult ἐπὶ δημοσίοις ἀδικήμασι μεγίστοις, καὶ ἀναβολὴν μὴ ἐπιδεχομένοις. καὶ ἐφ' οἷς μήτε ἀρχὴ καθέστηκε, μήτε νόμοι κεῖνται τοῖς ἄρχεσι, καθ' ὓς εἰσάξεσιν, ἀλλὰ πρὸς τὴν βελὴν, ἢ τὸν δῆμον ἡ πρώτη κατάστασίς ἐστιν. Discimus simul ex hoc loco, coram quibus iudicibus haec accusationis species institui potuerit. Βελὴν nominat, id est, senatum, tam Areopagiticum, quam Quingentorum: δῆμον autem, populum. Denique, quod ad delicta attinet, aduersus quae data est εἰσαγγελία, POLLVX quidem tria potissimum memorat: τὴν τῦ δήμε κατάλυσιν, proditionem, et desertionem bellicam, quae quidem crimina speciali lege refert fuisse determinata, quam appellat νόμον εἰσαγγελτικόν. Accusator ipse, qui instituebat εἰσαγγελίαν, si vel maxime caussa caderet, nihil periclitabatur, praeter mulctam mille drachmarum, si infra quintam suffragiorum partem obtinuisset [f]), quae quidem poena in omnibus publicis iudiciis accusatori irrogari solebat, si reus esset tanto suffragiorum numero absolutus [g]). Verum enimuero fuit

WESSELINGIVS *l. c.* HERALDVS autem ignorauit.

d) Quamquam hac quidem ex caussa non omnia delicta, de quibus fuit εἰσαγγελία, dici possunt ἄγραφα (quod exemplo κακώσεως statim demonstrabitur), nihilominus de frequentissima εἰσαγγελίας specie, quae ad atrocissima crimina spectauit, tuto id licet affirmare.

e) v. εἰσαγγελία pag. 139. ed. Lugd.

f) Manifeste hoc significat POLLVX *l. c.* P. II. p. 886. ed. HEMSTERHVIS. τὲς δὲ εἰσαγγέλλοντας μὴ ἀτιμῦσθαι μὲν, ὀφλεῖν δὲ τὰς χιλίας. cf. HARPOCRATION *l. c.*

g) POLLVX paullo prius: τὲς μὲν ἄλλας γραφὰς γραψαμένες, χιλίας τ' ὀφλισκάνειν, εἰ τὸ πέμπτε τῶν ψήφων μὴ καταλάβοιεν, καὶ προσατιμῦσθαι. cf. HERALDVS *l. c.* Lib. III. c. I. §. 13. pag. 196. IO. POTTERI *Archaeologia* Lib. I. c. 23.

fuit etiam alia εἰσαγγελίας species, quae in primis locum habebat περὶ κακώσεως, et a priori in eo differebat, quod magistratui peculiari, Archonti ἐπωνύμῳ scilicet, potestas exsequendi iudicium esset demandata. Haec, quum aliquam habeat cum γραφαῖς similitudinem, promiscue solet ab ISAEO et εἰσαγγελία et γραφὴ appellari; quamquam ipsa plane diuersae sit indolis, et κακώσεως denuntiatio non minus aestimatam legibus poenam ac delatoris ab infamia immunitatem admittat, quam vera εἰσαγγελία [h]). Praeter εἰσαγγελίαν, qua maiestatis crimen deferri solebat, in promtu sunt alia huius accusationis nomina, v. g. μήνυσις, κατηγορία, προβολὴ, inter quae de sola προβολῇ pauca afferre lubet, quia re vera differt ab εἰσαγγελίᾳ, nec tamen a viris doctis satis distingui videtur [i]). Nobis quidem praeprimis arridet HERALDI [k]) sententia, binis PLVTARCHI testimoniis nixa, qui locum habuisse προβολὴν affirmat, quando, εἰσαγγελίᾳ ad populum facta, eademque recepta et ad iudices remissa, nominaret populus, qui reum accusarent, eiusque caussam coram iudicibus agerent. Neque tamen negare possumus, esse quoque aliquot loca, in quibus προβολὴ accipienda videatur pro ipso εἰσαγγελίας actu, ita tamen, vt semper oporteat intelligere denuntiationem ad *uniuersum populum* factam; cuius quidem difficultatis caussa remittimus lectores ad HERALDI locum citatum, vbi etiam, quid intersit inter κατηγόρους et συνηγόρους, praeclare expositum inuenient. Nos iam de accusatione nihil amplius addimus, quam illud, quod inueniantur nonnunquam lecti a populo peculiares magistratus extraordinarii, qui conquirendis publice maleficis operam darent, praemiis subinde indicii propositis. Vocantur hi singulari nomine ζητηταὶ, quorum exempla frequentia sunt in ANDOCIDIS et LYSIAE Orationibus [l]).

 Nunc

h) Multa de hoc posteriore εἰσαγγελίας genere habet HERALDVS *l. c.* Lib. III. c. 14. p. 247. sqq. cf. HARPOCRATION *l. c.* p. 140.

i) Sic v. c. admodum ieiuna nobis videtur POTTERI interpretatio, qui *l. c.* προβολὴν ait fuisse dicam, quae reipublicae maleuolis, et iis, qui plebeculam ab officio abducerent, inscriberetur.

k) *l. c.* Lib. III. c. 10. pag. 233.

l) cf. HARPOCRATION v. ζητητὴς p. 180. HAVPTMANNI *libellus citatus* c. 9. pag.

 

Nunc de ipso iudiciorum publicorum, quibus in maiestatis crimina inquirebatur, ordine dispiciendum m). Facta itaque, quae a quolibet ex populo institui poterat, εἰσαγγελίᾳ vel alia quacunque accusationis specie siue ad thesmothetas (qui tanquam principes legum vindices iudiciis adhiberi et populum conuocare solebant), siue ad Areopagum n), siue ad Quingentorum senatum, siue etiam ad vniuersum populum, rei statim tenebantur in vinculis, donec disceptatum esset, vtrum εἰσαγγελία recipienda esset, nec ne o). Recepta ac probata εἰσαγγελίᾳ, ab vndecimuiris, τοῖς ἕνδεκα (penes quos fuit carcerum custodia et iudiciorum capitalium exsequutio), nisi peculiare adesset curiae decretum a scriba prytaneae exceptum et thesmothetis traditum, intra triginta dies sistendi

pag. 605. sq. Quid, quod etiam libertatis praemium propositum est seruis, qui in caussis ad rempublicam spectantibus indicia detulissent, dummodo vera esse comparuerint; quum proprie seruis testimonii dictio Athenis non esset. Eruit hanc legem primus e LYSIAE ὑπὲρ τοῦ σηκοῦ ἀπολογίᾳ Vol. I. p. 274. sq. ed. REISK. IO. TAYLOR in *Lectionibus Lysiacis* cap. 11. p. 314.

m) Incomparabile huiusmodi iudicii monimentum seruauit nobis DEMOSTHENES in *Or. aduersus Timocratem* Vol. I. p. 720. ed. REISK. cuius verba propter argumenti praestantiam adscribere liceat: ὁπόσοι Ἀθηναίων κατ' εἰσαγγελίαν ἐκ τῆς βουλῆς, ἢ νῦν εἰσὶν ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ, ἢ τὸ λοιπὸν κατατεθῶσι, καὶ μὴ παραδοθῇ ἡ κατάγνωσις αὐτῶν τοῖς θεσμοθέταις ὑπὸ τοῦ γραμματέως τοῦ κατὰ πρυτανείαν, κατὰ τὸν εἰσαγγελτικὸν νόμον, δεδόχθαι τοῖς θεσμοθέταις, εἰσάγειν τοὺς ἕνδεκα εἰς τὸ δικαστήριον ἐντὸς τριάκονθ' ἡμερῶν, ἀφ' ἧς ἂν παραλάβωσιν, ἐὰν μήτι δημοσίᾳ κωλύῃ· ἐὰν δὲ μή, ὅταν πρῶτον οἷόν τ' ᾖ. κατηγορεῖν δ' Ἀθηναίων τὸν βουλόμενον οἷς ἔξεστιν. ἐὰν δ' ἁλῷ, τιμάτω ἡ ἡλιαία περὶ αὐτοῦ ὅ, τι ἂν δοκῇ ἄξιος εἶναι παθεῖν ἢ ἀποτίσαι. ἐὰν δ' ἀργυρίου τιμηθῇ, δεδέσθω τέως, ἕως ἂν ἐκτίσῃ ὅ, τι ἂν αὐτοῦ καταγνωσθῇ. vid. ad *h. l.* HERALDVS *l. c.* Lib. III. c. 10. et 11. PETITVS *l. c.* Lib. VII. tit. 13.

n) Nam et Areopagum de proditione et desertione iudicasse, e LYCVRGO probauit HAVPTMANNVS in libello saepius citato, c. 8. p. 599. cf. MEVRSII *Areopagus* c. 9. in GRONOV. *thes.* Vol. V. pag. 2104.

o) Nexi igitur habebantur, etiam antequam essent conuicti: quod constat praeter legem modo laudatam etiam e iureiurando Quingentorum, cuius meminit DEMOSTHENES in eadem Oratione Vol. I. p. 745. ed. REISK. οὐδὲ δήσω Ἀθηναίων οὐδένα, ὃς ἂν ἐγγυητὰς τρεῖς καθίστῃ τὸ αὐτὸ τέλος τελοῦντας, πλὴν ἐάν τις ἐπὶ προδοσίᾳ τῆς πόλεως, ἢ ἐπὶ καταλύσει τοῦ δήμου συνιὼν ἁλῷ. cf. PETITVS *l. c.* Lib. VIII. tit. 4. pag. 672.

ſiſtendi erant rei in iudicio Heliacae p), introducentibus vndecimviros theſmothetis; quod quidem ſemper erat obſeruandum, niſi publicum adeſſet impedimentum. In iudicio ipſo cauſſa vtrimque agebatur; dum accuſare liceret vnicuique ex populo, niſi κατήγοροι aut συνήγοροι peculiares eſſent lecti: reo autem per συνδίκους ſe defendere. Tunc, ſi conuictus eſſet reus et a iudicibus cauſſa cognita capitis damnatus, rurſus traditus fuit τοῖς ἕνδεκα, vt poenam per ὑπηρέτας, vel apparitores ſuos, exſequerentur: ſi vero mulcta tantum irrogata eſſet, ab iisdem tam diu in carcere retinebatur, donec ſoluiſſet q).

Iam, vt *poenas* ipſas et ſuppliciorum genera, quibus affecerunt Athenienſes proditores et maieſtatis reos, inueſtigemus, ſupereſt. Ac primum quidem tanta in eos ſeueritate animaduerterunt Atticae leges, vt non ſolum vnicuique Athenienſium liceret impune occidere hominem, qui mala aduerſus rempublicam conſilia vel vere iniiſſet, vel certe inire vellet, ſed etiam ad hoc ipſum iurisiurandi religione inter ſacra omnes adſtringerentur. Formulam huius iurisiurandi, quod in primis poſt XXX. tyrannos exactos

 obti-

p) Nam plerumque apud Heliaſtas fuiſſe iudicia horum criminum animadvertimus: vnde etiam iurisiurandi eorum, quod in DEMOSTHENIS Oratione ſaepius laudata Vol. I. p. 746. ſq. ed. REISK. exſtat, prima pars ſpectauit potiſſimum ad opprimendam tyrannidem aliaque mala conſilia, quae in reipublicae perniciem inita eſſent: καὶ τύραννον οὐ ψηφιοῦμαι εἶναι, οὐδ' ὀλιγαρχίαν· οὐδ' ἐάν τις καταλύῃ τὸν δῆμον τὸν Ἀθηναίων, ἢ λέγῃ, ἢ ἐπιψηφίζῃ παρὰ ταῦτα, οὐ πείσομαι. cf. SAM PETITVS *l. c.* Lib. IIII. tit. I. pag. 397.

q) Nonnunquam enim in proditionis iudicio poena non fuit capitalis, ſed tantum pecuniaria, cuius exemplum habemus in hiſtoria Miltiadis, qui, quia mulctae aeſtimationem ſoluere non poterat, in vinculis mortuus eſt. Ceterum maxime memorabile iudicii, quo proditionis damnati ſunt Archeptolemus et Antiphon, exemplum ſiſtit Senatusconſultum, quod ſeruauit PLVTARCHVS in *vita Antiphontis*, Vol. VIIII. pag. 313. ſqq. ed. REISK. quodque apprime conuenit cum illo, quem modo expoſuimus, ordine; vnde etiam infra ſaepius ad illud prouocabimus. Neque enim ad cognoſcendam fori criminalis indolem impedit, ſiue vere id a ſenatu Athenienſi verbis a PLVTARCHO commemoratis ſit conceptum, ſiue, quod nonnulli malunt, tantum confictum. Fidem autem eius eleganter ſtabiliuit HERALDVS *l. c.* Lib. III. c. 10. p. 231. qui omnino hic interpretis partibus fungitur.

obtinuit, deſcripſit ANDOCIDES [r]), quam quin hoc loco apponeremus, impetrare a nobis non potuimus, vt intelligant lectores, quantum fuerit Athenienſibus libertatis ſtudium et proditorum odium:

ὍΡΚΟϹ.

Κτενῶ τῇ ἐμαυτοῦ χειρὶ, ἂν δυνατὸς ὦ, ὃς ἂν καταλύσῃ τὴν δημοκρατίαν τὴν Ἀθήνῃσι· καὶ ἐάν τις ἄρξῃ τὴν ἀρχὴν, καταλελυμένης τῆς δημοκρατίας τολοιπὸν, καὶ ἐάν τις τυραννεῖν ἐπαναστῇ, ἢ τὸν τύραννον συγκαταστήσῃ, καὶ ἐάν τις ἄλλος ἀποκτείνῃ, ὅσιον αὐτὸν νομιῶ εἶναι καὶ πρὸς θεῶν καὶ δαιμόνων, ὡς πολέμιον κτείναντα τῶν Ἀθηναίων· καὶ τὰ κτήματα τοῦ ἀποθανόντος πάντα ἀποδόμενος, ἀποδώσω τὰ ἡμίσεα τῷ ἀποκτείναντι, καὶ λόγῳ, καὶ ψηφῷ, καὶ οὐκ ἀποστερήσω οὐδέν. ἐὰν δὲ τις κτείνων τινὰ τούτων ἀποθάνῃ, ἢ ἐπιχειρῶν, εὖ ποιήσω αὐτόν τε καὶ τοὺς παῖδας τοὺς ἐκείνου, καθάπερ Ἁρμοδιόν τε καὶ Ἀριστογείτονα, καὶ τοὺς ἀπογόνους αὐτῶν. ὁπόσοι δὲ ὅρκοι ὀμώμονται Ἀθήνησιν, ἢ ἐν τῷ στρατοπέδῳ ἢ ἄλλοθί που, ἐναντίοι τῷ δήμῳ τῶν Ἀθηναίων, λύω καὶ ἀφίημι.

Omnis itaque homo apud Athenienſes in tyrannos et patriae proditores miles erat, in quo quidem eo vſque ſunt progreſſi, vt vel praemia proponerent iis, qui talia molientem occidiſſent. Manifeſte hoc intelligimus non ſolum e verbis iurisiurandi, quibus, praeter dimidiam partem bonorum occiſi, maximi etiam honores decreti ſunt iis, qui hoſtem patriae necaſſent, eorumque poſteris, ſi forte pro libertate pugnantes ipſi periiſſent; ſed etiam ex aliis aliorum ſcriptorum locis, qui, quales fuerint illi honores, diſerte commemorarunt [ſ]). Ac CICERO

r) in *Or. de myſteriis* pag. 48. ſq. Similem iurisiurandi formulam affert LYCVRGVS *in Leocratem* p. 223. & 225. cf. PETITVS *l. c.* Lib. III. tit. 2. p. 316. ſqq.

ſ) Legem fuiſſe, vt praemiis ornarentur tyrannicidae, in vniuerſum tradit SYRIANVS *in Hermogenem*: ἀνῆλθε τὶς ἐπὶ τὴν ἀκρόπολιν, ὡς ἀποκτενῶν τὸν τύραννον, καὶ ἐδίωξεν· ἕτερος ἐντυχὼν, ἐφόνευσε. νόμου ὄντος, τὸν τυραννοκτόνον λαμβάνειν δωρεὰν, ἀμφισβητοῦσιν ἀλλήλοις περὶ τῆς δωρεᾶς. cf. ARISTOTELES *Polit.* Lib. II. c. 7. Non poterat autem, certe Solonis aetate, vt ſupra vidimus, eiusmodi homo patriae infeſtus a quolibet necari ante, quam vere tyrannidem affectaſſet: quod ipſum per legem et

CICERO [t]) quidem *diuinos* iis *honores* exhibitos fuiſſe tradit: *Graeci homines deorum honores tribuunt iis viris, qui tyrannos necauerunt. Quae ego vidi Athenis? quae aliis in vrbibus Graeciae? quas res diuinas talibus inſtitutas viris? quos cantus? quae carmina? prope ad immortalitatis et religionem et memoriam conſecrantur.* Et alio loco [u]) eadem praemia, quae tribuerentur victoribus in ludis Olympiacis, ac praeterea quidquid a magiſtratu depopoſcerint, conſequutos eſſe narrat eos, qui tyrannos trucidaſſent. Hinc, ſi QVINCTILIANO [x]) fidem habemus, erigebantur tyrannicidis apud Graecos ſtatuae in gymnaſiis, et, ſi XENOPHONTI [y]), in ipſis templis. Verum noli exiſtimare, vnumquemque, qui legibus maieſtatis, quales ſupra recenſuimus, etiam leuiorem ob cauſſam obnoxius eſſet factus, a quolibet impune occidi fas fuiſſe: imo hoc tantum aduerſus atrociſſima facinora et ſceleſtiſſimos homines, qui vere patriae exitum intentarent, in primis autem in tyrannos licuiſſe ſtatuimus. Alii, quorum crimina non ita manifeſta aut periculoſa eſſent, vt in ipſo facinore deprehenſi tuto necari potuerint, per *εἰςαγγελίαν* vel aliam accuſationem publicam deferebantur. Et tunc quidem conſuetus ſuppliciorum modus hic fuit [z]), vt

et iusiurandum ab ANDOCIDE allatum ita immutatum fuiſſe videtur, vt etiam ſolus inuadendae tyrannidis conatus ad iuſtam necem ſuffecerit, quemadmodum e verbis: *ἐάν τις τυραννεῖν ἐπαναςῇ*, colligimus. Cauſſa huius ſeueritatis poſt Solonem introductae videtur eſſe odium extremum, quo Athenienſes inde ab expulſis XXX. tyrannis omnes, qui ſimilia molirentur, habuerunt: IO. DE MAVREGNAVLT Diſſ. *de flagellationibus, ſiue cruciatibus ante capitalia ſupplicia apud veteres Graecos*, cap. 5. §. 5. in GERH OELRICHS *Theſ. Differt. Belgicarum*, Vol. II. Tom. III. p. 247. Ceterum illuſtrarunt hoc argumentum MEVRSIVS in *Them. Att.* Lib. II. c. 15. p. 1977. ſq. et ILLVSTRIS WOLLE in Diſſ. II. *de damnata memoria*, cap. 7. §. 1.

t) *pro Mil.* c. 29.

u) *de Inuent. Rhet.* Lib. II. c. 49. *Lex eſt, qui tyrannum occiderit, Olympionicarum praemium capito, et, quam volet, ſibi rem a magiſtratu depoſcito, et magiſtratus ei concedito.*

x) *Inſtitt. Orat.* Lib. VII. c. 7.

y) in *Hierone*, c. 4.

z) Multum profecto confert ad cognoſcendum hunc ſuppliciorum ordinem Senatusconſultum illud, cuius ſupra iam mentionem fecimus, e PLVTARCHI *vita Antiphontis* Vol. VIIII. p. 315. ed. REISK. quodque inter alia haec quoque praecipit: *τούτοιν ἐτιμήθη τοῖς ἕνδεκα παραδοθῆναι, καὶ τὰ χρήματα δημόσια εἶναι, καὶ τῆς θεοῦ τὸ ἐπιδέκατον, καὶ τὰς οἰκίας κατασκάψαι αὐτῶν, καὶ ὅρους θεῖναι τοῖν οἰκοπέδοιν, ἐπιγράψαντας*

vt statim post εἰσαγγελίαν in vincula coniecti, si iudicibus capitalis poena placuisset, vndecimuiris traderentur: quo facto nomen rei ante omnia ex albo ciuium eradebatur [a]), ne de ciue Atheniensi vltimum supplicium sumi videretur. Antequam vero ipsa sententiae capitalis exsequutio fieret, mos erat, vt rei variis tormentorum generibus, in primis flagellationibus, excruciarentur, quod quia multis ostendit IOANNES DE MAVREGNAVLT [b]), nos non amplius vrgebimus. Insuper etiam infames et hostes populi Atheniensis declarari solebant: quam in rem quum innumera fere scriptorum exstent testimonia, recitandis iis supersedemus, et ad ipsum supplicium capitale progredimur. Quod quidem quale Athenis in caussis proditionis vel maiestatis imminutae fuerit, nobis cum aliqua probabilitate definire haud licet, quia nihil certi hac de re apud veteres proditum obseruauimus. Illud itaque ad veritatem quam proxime accedere nobis videtur, nullam exstitisse legem, qua peculiare esset supplicii genus in haec crimina statutum: imo hoc variis temporibus ipsum quoque varium fuisse; plerumque tamen cicutae potum esse adhibitum [c]). Cadauera damnatorum insepulta abiecta fuisse, supra iam monuimus, quare in his diutius

τας· Ἀρχεπτολέμου καὶ Ἀντιφῶντος, τοῖν προδόταιν — καὶ μὴ ἐξεῖναι θάψαι Ἀρχεπτόλεμον καὶ Ἀντιφῶντα Ἀθήνησι, μηδ' ὅσης Ἀθηναῖοι κρατοῦσι. καὶ ἄτιμον εἶναι Ἀρχεπτόλεμον καὶ Ἀντιφῶντα, καὶ γένος τὸ ἐκ τούτοιν, καὶ νόθους, καὶ γνησίους. καὶ ἐὰν ποιήσηταί τινα τῶν ἐξ Ἀρχεπτολέμου καὶ Ἀντιφῶντος, ἄτιμος ἔσω ὁ ποιησάμενος.

a) DIO CHRYSOSTOMVS in *Rhodiaca* Vol. I. p. 611. ed. REISK. ἐκεῖ γὰρ ὅταν δημοσίᾳ τινὰ δέῃ τῶν πολιτῶν ἀποθανεῖν ἐπ' ἀδικήματι, πρότερον τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἐξαλείφεται. cf. WESSELINGIVS in *notis ad* PETITI *LL. Atticas* Lib. VII. tit. 1. pag. 613. MAVREGNAVLT *l. c.* c. 7. §. 2. pag. 264.

b) in *Diss. cit.* cap. 2 — 7. pag. 226. sqq.

c) Certe hoc mortis genere Phocionem eiusque socios interemtos fuisse, e DIODORI SICVLI Lib. XVIII. p. m. 641. constat: *διὰ δὲ τῆς τοῦ κωνείου πόσεως κατὰ τὸ πάτριον ἔθος τὸν βίον κατέλυσαν* ἐς. Ibi *κατὰ τὸ πάτριον ἔθος* haud frustra nobis adiectum videtur, vt intelligatur, consuetam hanc fuisse inter Athenienses proditorum poenam. Socratis mors, qui itidem proditionis accusatus fuerat, notissima est et cicutae vsum in his delictis puniendis confirmat. Aliud contra apud Macedones obtinuit proditorum supplicium, lapidatio: cuius exemplum illustre habet CVRTIVS Lib. VI. c. vlt.

tius morari nolumus. Quid vero, si reos ipsos in potestate non haberent, sed absentes damnassent? Tunc certe, siue ad hostes, siue in aliam quamcunque regionem confugissent, vna cum liberis exsilio perpetuo mulctabant: quod apparet e MARCELLINO *in Hermogenem*: νόμος, τῷ προδότῃ συμφεύγειν τοὺς παῖδας, et a QVINCTILIANO [d]) repetitur: *proditor cum liberis exsulet.* Hae vero poenae plerumque, etiam praeter vltimum supplicium, maiestatis reis infligebantur: bonorum publicatio, aedium euersio et infamia ad posteros continuata. Bonorum quidem publicatio non omnia delicta capitalia necessario sequebatur, sed tantum ea, de quibus esset εἰσαγγελία, ceu recte monuit HERALDVS [e]); vnde etiam factum est, vt senatus libenter εἰσαγγελίας reciperet, in primis quando respublica eiusmodi suppetiis egeret [f]). Ne tamen populus, lucri spe captus, ad condemnandum esset nimis procliuis, cautum erat, vt decima pars Mineruae sacra esset, et dodrans ei cederet, qui bona publicanda conquisiuisset atque adnotasset [g]): quod quidem praemium non confundendum est cum semisse,

d) *Declamat.* 366.

e) *l. c.* Lib. III. c. 11. p. 236. sq.

f) Claris verbis hac de re loquitur LYSIAS *contra Nicomachum*, Vol. I. pag. 861. εἰδὼς δὲ, ὅτι ἡ βουλὴ ἡ βουλεύουσα, ὅταν μὲν ἔχῃ ἱκανὰ χρήματα εἰς διοίκησιν, οὐδὲν ἐξαμαρτάνει· ὅταν δὲ εἰς ἀπορίαν καταστῇ, ἀναγκάζεται εἰσαγγελίας δέχεσθαι, καὶ δημεύειν τὰ τῶν πολιτῶν, καὶ τῶν ῥητόρων τοῖς πονηρότατα λέγουσι πείθεσθαι. Hinc etiam demagogorum erat, bonorum publicationes procurare, quos saepe pessimis eloquentiae artibus vsos esse ad commendandas εἰσαγγελίας legimus, vt populi facultatibus consulerent.

g) DEMOSTHENES ἐν τῷ πρὸς Νικόστρατον περὶ ἀνδραπόδων ἀπογραφῆς Ἀρεθουσίου, Vol. II. p. 1246. sq. ἀπογράψας δὲ, ἐὰν ἀποδείξω τἀνδράποδα Ἀρεθουσίου ὄντα, ὅπερ ἀπογέγραπτο εἶναι, τὰ μὲν τρία μέρη, ἃ ἐκ τῶν νόμων τῷ ἰδιώτῃ τῷ ἀπογράψαντι γίγνεται, τῇ πόλει ἀφίημι. Videtur autem hoc delatorum praemium tum demum locum habuisse, quando quis priuatus bona rei publicanda, de quorum quantitate aut numero non satis constaret, diligenter vndique conquisiuisset, et ab iis, qui negarent, se possidere eiusmodi bona, vindicasset et populo indicasset. Haec enim proprie ἀπογραφὴ dicta, cuius cognitio spectauit ad τοὺς συνδίκους, diuersos a defensoribus reorum, quales supra vidimus: CAR. SIGONIVS *de republ. Athen.* Lib. IIII. c. 3. in. GRONOV. *thes.* Vol. V. pag. 1605. cf. IO. IAC. REISKII *index graecitatis Lysiacae* v. ἀπογράφεσθαι & ἀπογραφή. Si temere detulissent, mulctabantur et ipsi mille

ſemiſſe, quem accipiebat ex iureiurando ſaepius dicto is, qui tyrannum occidiſſet. Aedium ſubuerſio hac ex cauſſa praeter vltimum ſupplicium decreta videtur, vt ne ſupereſſet vllum hominis, patriae ſuae infeſti, monimentum [h]); titulum vero condemnationis columnis in areae loco poſitis (quas ſub ὅροις in SCto, cuius iam ordinem ſequimur, intelligere licet) inſcripſerunt, vt perpetua propagaretur ad poſteros poenae memoria. Tandem non ipſis ſolum perduellionis damnatis, ſed omni quoque eorum poſteritati, tam legitimae, quam ſpuriae, infamiae notam interdum inuſtam fuiſſe, colligimus ex his verbis: καὶ ἄτιμον εἶναι Ἀρχεπτόλεμον καὶ Ἀντιφῶντα καὶ γένος τὸ ἐκ τούτοιν, καὶ νόθους, καὶ γνησίους. Id enim non ipſo iure obtinuiſſe, ſed in ſententia nominatim exprimendum fuiſſe, HERALDVM [i]) auctorem ſequimur, qui etiam effectus huius infamiae demonſtrauit. Profertur autem in Senatusconſulto infamiae poena ad eos quoque, qui aliquem ex Antiphontis vel Archeptolemi poſteris ad abſtergendam ignominiae maculam in fraudem decreti huius adoptauerint. In tyrannorum vero liberis et cognatis haec nondum ſufficiebant. Horum enim adeo dura apud omnes fere gentes antiquas fuit conditio, vt merito paterni criminis poena ad eos propagata dici poſſit. Ac Graecorum quidem alios refert DIONYSIVS HALICARNASSENSIS [k]) ex tyrannis natos cum patribus necandos cenſuiſſe: alios perpetuo eos exſilio mulctaſſe. De Athenienſibus vero diſerte haec tradunt DIO CHRYSOSTOMVS [l]) et SOPATER *in Hermogenem*, qui νόμον

εἶναι

mille drachmis, quemadmodum PETITVS *l. c.* Lib. IIII. tit. 9. p. 466. ſq. demonſtrauit.

h) Quem quidem morem quatenus imitati ſint Romani, docuit ILLVSTRIS WOLLE in Diſſertatt. ſaepius laudatarum *prima*, cap. 4.

i) *l. c.* Lib. III. c. 11. pag. 238. Simile Arthmii Zelitae, cuius poſteris itidem infamiae labes eſt adſperſa, exemplum refert PLVTARCHVS in *vita Themiſtoclis* c. 6. Vol. I. p. 450. cf. DEMOSTHENIS *Philipp.* III. Vol. I. pag. 121.

k) Lib. VIII. c. 80. Vol. III. pag. 1705. ed. REISK. παρ' Ἕλλησι δὲ οὐχ οὕτως ἐνίοις ὁ νόμος ἔχει, ἀλλὰ τοὺς ἐκ τυράννων γενομένους οἱ μὲν συναποκτίννυσθαι τοῖς πατράσι δικαιοῦσιν, οἱ δ' ἀειφυγίᾳ κολάζουσιν. cf. ARISTOTELES *Rhetor.* Lib. I. c. 15. et Lib. II. c. 21. Rationem huius conſuetudinis cruentae expoſuit HERALDVS *l. c.* Lib. III. c. 11. pag. 238.

l) *Or.* 80. Vol. II. pag. 438. ed. REISK.

εἶναι ſcribit, τῷ τυράννῳ συναποθνήσκειν τὰ τέκνα [m]). Quid, quod vel ad quinque proximos tyrannorum cognatos capitis ſupplicium pertinuiſſe, ex loco aliquo CICERONIS [n]) nonnulli colligere volunt [o]).

m) cf. HOMERVS *Iliad.* λ'. v. 138. ſqq. Macedonum, Perſarum aliarumque gentium hac de re opinionem collegerunt HVG. GROTIVS *de Iure B. et P.* Lib. II. c. 21. §. 13. vſque ad fin. EM. MERILLIVS *Obſeruatt.* Lib. IIII. c. 3. et EV. OTTO ad §. 3. I. *de publ. iudic.*

n) *de Inuent. rhetor.* Lib. II. c. 49. *Et altera lex: Tyranno occiſo, quinque eius proximos cognatione, magiſtratus necato.*

o) v. c. MEVRSIVS in *Them. Att.* Lib. II. c. 15. p. 1977.

PARS

PARS SPECIALIS.

SECTIO I.

DE ROMANORVM LEGIBVS MAIESTATIS SVB REGIBVS.

§. I.

SERIES FVTVRA PROPONITVR.

Diu in Attico ſolo commorati, tandem in Latium reduces, huius potiſſimum inſtituta contemplabimur. Sequemur autem in iis explicandis eum ordinem, quem rei Romanae hiſtoria ſuppeditat, ita vt a prima inde populi Romani origine ad extrema vſque reipublicae tempora ſucceſſionem legum maieſtatis deducturi ſimus. Quo quidem negotio vt rite et iuſto ordine fungi poſſimus, omne temporis ſpatium, quod nobis erit emetiendum, in quatuor periodos diſſecabimus, quarum *prima* comprehendet regum aetatem, *altera* a regibus exactis ad leges decemuirales, *tertia* a duodecim tabulis ad quaeſtiones perpetuas inſtitutas, *quarta* denique a quaeſtionibus inſtitutis ad legem vſque Iuliam viciſſitudines criminis maieſtatis proſequetur. In tanta argumenti vbertate quum vereamur, ne libelli, controuerſiis academicis deſtinati, limites ſimus egreſſuri, placet tantum primam periodum hac diſſertatione abſoluere, reliquis tribus in aliam opportunitatem reiectis.

§. II.

ROMVLI LEGES DE MAIESTATE.

Ante omnia ne fruſtra videamur de re aliqua diſputare, cuius veritas a multis non ſine aliqua probabilitatis ſpecie in dubium eſt vocata: refutanda eſt opinio quorundam, qui Romulum, primum Roma-

Romanorum regem, fine legibus et iure certo omnia ex arbitrio fuo gubernaſſe exiſtimant, et propterea in legiſlatorum numero habendum eſſe negant [a]). Prouocant plerumque hac de cauſſa ad TACITI [b]) locum: *nobis Romulus, vt libitum, imperitauerat, dein Numa religionibus et diuino iure populum deuinxit;* quae quidem verba mirifice credunt confirmari auctoritate POMPONII [c]), qui *initio ciuitatis populum ſine certa lege, ſine iure certo primum agere inſtituiſſe, omniaque manu a regibus fuiſſe gubernata* ſcribit. Quae loca quum iam a doctiſſimis viris ſatis lucis acceperint, in primis a RVPERTO [d]), EBERLINO [e]), SCHVBARTO [f]), BYNKERSHOEKIO [g]), OTTONE [h]), ARNTZENIO [i]), aliis, nolumus eorum ſententias ad nauſeam vſque recoquere, et illud ſaltem monemus, optime nobis placere RVPERTI interpretationem, qui verba POMPONII modo laudata intelligit de primis illis et antiquiſſimis ciuitatis Romanae temporibus, quibus nondum multitudo aucta nec populus in XXX. curias diviſus erat, ſed Romulus ac Remus ſimul imperabant. Hos enim ſub *regibus* intelligere POMPONIVM, manifeſtum putamus eſſe ex initio §. II. vbi pergit: *Poſtea aucta ad aliquem modum ciuitate, ipſum Romulum traditur populum in triginta partes diuiſiſſe;* et ita illi tempori, quo *initio manu omnia a regibus gubernabantur*, opponit inſequentem aetatem, qua *poſtea, aucta ciuitate, Romulus ipſe*, i. e. ſolus ſummae rerum praefuerat. Nec diuinari poſſumus, quomodo ARNTZENIVS, quem inter recentiores aduerſarium nactus eſt RV-

 PERTVS,

a) Videtur haec ſententia vel ipſi IVSTINIANO placuiſſe, qui in *praef. ad Nou.* 47. ſcribit: Ῥωμύλος μὲν τὴν πόλιν οἰκοδομήσας, Νυμᾶς δὲ αὐτὴν νόμοις τάξας τε καὶ κατακομήσας: aperte autem GRATIANVS ei adſtipulatur *diſt.* 7. *c.* I. *Numa Pompilius, qui Romulo ſucceſſit in regno, primus leges Romanis edidit.* Sed optime reſpondit his GE. SCHVBARTVS *de fatis iurispr. Rom.* Ex. I. §. 8. vnde nobis nulla amplius cum iis res erit.

b) *Annal.* Lib. III. c. 26.

c) L. 2. §. 1. D. *de O. I.*

d) *ad Enchiridion Pomponii* Lib. I. c. 2. p. 28. ſqq.

e) in *Explic. de Orig. iur. et omnium magiſtr.* c. 3. pag. 11. ſqq.

f) *l. c.* Ex. I. §. 5—10.

g) in *Praetermiſſis ad Pomponii l. c.* in EIVSD. *Opuſc.* Tom. II. p. 12. ſq. ed. Hal.

h) *de iuriſpr. ſymbolica* Ex. II. c. 8.

i) *Miſcellan.* c. 8. pag. 90. ſqq.

PERTVS, Remi imperium possit negare ex hac ratione, quod ipse in primis vrbis amplificatae natalibus sit interemtus: quum tantum de tempore, quod vrbem amplificatam praecesserat, POMPONII verba RVPERTVS intellexerit, et insuper LIVIVS [k]) intra hoc spatium vtrumque, tam Remum, quam Romulum, a sua multitudine *regem consalutatum* fuisse tradat. Quidni igitur POMPONIO licuit *reges* dicere eos, quos LIVIVS ipse hoc nomine appellauerat? Contrariam ARNTZENII coniecturam, qua sub *regibus* intelligit *Tatium* cum Romulo, haud vrgebimus, quia iam ipsis POMPONII verbis satis refutatur. Nobis itaque haec stat sententia, a primordiis quidem gentis Romanae nullas fuisse ab eius regibus leges conditas, sed mox, vbi augeri coeperit ciuitas, harum quoque curam a Romulo esse habitam [l]). Et innumera profecto essent

veterum

k) Lib. I. c. 7.

l) AVRELII enim VICTORIS testimonium, qui *de Viris illustribus* c. 1. *Romulum vrbem prius legibus, quam moenibus muniuisse* scribit, nos non magnopere mouet, modo series ipsa, in qua haec verba leguntur, diligenter inspiciatur. Audiamus integrum locum: *ipsi* (fratres) *pastoribus adunatis ciuitatem condiderunt, quam Romulus, augurio victor, quod ipse XII. Remus VI. vultures viderat, Romam vocauit. Et, vt eam prius legibus muniret, quam moenibus, edixit: ne quis vallum transiliret. Quod Remus irridens, transiluit et a Celere Centurione rutro fertur occisus.* Loquitur igitur VICTOR de solo Romuli edicto, quo valli transgressionem vetuit; hae sunt illae *leges*, quae *ante moenia* exstructa latae fuerant, quaeque profecto non impediunt, quo minus et tunc populum sine certa lege, sine iure certo fuisse existimemus. Quid enim murorum sanctitas ad lites dirimendas? Accedit, quod haec lex a *Romulo solo* lata est, non adhibito in consilium *Remo* (id quod non obscure e VICTORIS verbis et OVIDII loco infra commemorando colligi potest), ideoque accommodari nequit ad eum populi Romani statum antiquissimum, quo *reges* illi tribuit POMPONIVS. Mox enim interfecto Remo, Romulus solus regnauit, qui etiam solus hoc edixerat. Male itaque BOECLERVS *Commentatt. Plinianarum* cap. 10. §. 9. in EIVSD. *Dissertt. academ.* Tom. I. pag. 813. vt huic loco medicinam afferret, intellexit νόμους ἀγράφους, qui, si de pluribus legibus promulgatis quidem, sed in scripturam non redactis, accipiantur, nondum in haec tempora cadere videntur. Erant enim etiam sequente aeuo pleraeque Romuli leges, teste DIONYSIO HALIC. Lib. II. c. 24. Vol. I. p. 284. ed. REISK. hoc sensu ἄγραφοι, nec facile ante XII. tabulas fuerunt ἐν γραφαῖς ἅπαντα τὰ δίκαια τεταγμένα: vt cum eodem Lib. X. pr. loquamur. Neque nos propterea moratur quaestio illa, quam a nonnullis agitatam esse scimus, vtrum leges Romuli ipsis Romuli temporibus litteris fuerint consignatae; quum vix verisimile sit, per ferox illud

et

veterum ſcriptorum loca, e quibus Romulo hunc legiſlatoris honorem vindicare poſſemus: quare in paucis tantum acquieſcimus. Sic DIONYSIVS HALICARNASSENSIS non ſolum frequentiſſime Romulum dicit *νομοθέτην τῶν Ῥωμαίων, νομοθετεῖν*, et ſanctiones eius *νόμους* [m]); ſed etiam diſerte eum ait [n]) *νόμους καλοὺς καὶ συμφέροντας, ἀγράφους μὲν τοὺς πλείστους, ἔστι δ' οὓς καὶ ἐν γράμμασι κειμένους καταστήσασθαι*, quocum conſentit PLVTARCHVS [o]): *ἔθηκε δὲ καὶ νόμους τινὰς, ὧν σφοδρὸς μέν ἐστιν ὁ γυναικὶ μὴ διδοὺς ἀπολείπειν ἄνδρα* et quae ſequuntur. Idem narrat etiam LIVIVS [p]), qui ſimul ad iudiciariam Romuli poteſtatem reſpexiſſe videtur: *rebus diuinis rite perpetratis, vocataque ad concilium multitudine, quae coaleſcere in populi vnius corpus nulla re, praeterquam legibus, poterat, iura dedit:* et ipſe POMPONIVS ita pergit [q]): *Leges quaſdam et ipſe* (Romulus) *curiatas ad populum tulit. Tulerunt et ſequentes Reges, quae omnes conſcriptae exſtant in libro Sexti Papirii.* Quomodo autem haec cum TACITI loco conciliabimus? Nempe ſic, vt Romulum *pro lubitu imperitaſſe* ſtatuamus, quatenus vel maieſtatis iura, quae vulgo vocantur, penes eum ſolum fuerunt (quod in ſucceſſoribus ſecus fuiſſe ARNTZENIVS [r]) probauit), vel propter paucitatem legum pleraeque controuerſiae ex regis arbitrio ſunt deciſae [ſ]). Hinc facile intelligent lectores, tantum abeſſe, vt illo aeuo mores et inſtituta ſine ſcripto prodita prorſus exſulaſſe cenſeamus, vt potius his quoque iuſtum ſtatuamus pretium in illuſtrandis ſequioris aeui conſuetudinibus, quarum origo aliunde certe repeti nequit [t]).

Iam

et rude aeuum adhibitas fuiſſe in publicis negotiis litteras, quas adhuc ſub finem quarti ab Vrbe condita ſeculi *raras* fuiſſe ipſe LIVIVS Lib. VII. c. 3. tradit: cf. GE. SCHVBARTVS *l. c.* Ex. I. §. 36. ſq. Quibus addere liceat CHRIST. GODOFR. HOFFMANNI verba in *Hiſtor. iur.* Vol. I. P. I. pag. 7. ita ſcribentis: *quum hodie vix iſtae leges verbotenus reperiantur, otioſa nobis haec quaeſtio videtur.*

m) v. c. Lib. II. c. 25. 26. 27. et multis aliis in locis.

n) Lib. II. c. 24. Vol. I. pag. 284. ed. REISK.

o) in *vita Romuli*, c. 22. Vol. I. pag. 127. ed. REISK.

p) Lib. I. c. 8.

q) d. L. 2. §. 2. D. *de O. I.*

r) *l. c.* c. 8. pag. 95. ſq.

ſ) Eſt haec ſententia THEOD. RYCKII in *animaduerſſ. ad* TACITI *l. c.* pag. m. 68.

t) Multa iura ſub regibus moribus deberi, oſtenditur in IO. GOTHOFR. RICHTERI Diſſ. *de moribus maiorum, tanquam* anti-

Iam ad ipsas Romuli leges, quae aliquid de maiestatis crimine sanxerunt, progrediamur [u]); vbi saepius propter antiquitatis obscuritatem coniecturis erit indulgendum. Ac primum quidem memoratur a DIONYSIO HALICARNASSENSI [x]) expresse νόμος τῆς προδοσίας, ὃν ἐκύρωσεν ὁ Ῥωμύλος, qui qualis fuerit, quum de eo apud reliquos rei Romanae scriptores altum sit silentium, paullo curiosius erit indagandum. Occasionem enarrandae huius legis DIONYSIO praebuit vetus Romuli institutum, quo mutua inter patronos ac clientes iura et obligationes definiuit. Communia autem vtrisque haec fuisse ait: vt neque pium, neque fas esset alteris alteros in iudiciis accusare, aut testimonium aduersum dicere, aut suffragium contrarium ferre, aut inter inimicos censeri. Quodsi quis in aliquo huiusmodi facinore deprehensus esset, reum hunc fuisse legis proditionis, quam Romulus sanxisset, et conuictum huius criminis cuiuis, vt Diti sacrum, interficere licuisse. Morem enim Romanis fuisse pergit, vt, quos vellent impune occidi, eorum corpora alicui Deo, praecipue vero inferis deuouerent, quod et ipsum Romulum tunc fecisse tradit. Miramur profecto, quod hanc legem omiserint non pauci, qui alias Romuli et successorum sanctiones diligenter exposuerunt, ANT. AVGVSTINVS, FVLVIVS VRSINVS, BALDVINVS, PIGHIVS, GEBAVERVS; alii autem tantum obiter eius mentionem iniecerint, vt MERVLA [y]), HOFFMANNVS [z]), BACHIVS [a]). Fuerunt vero etiam, qui eam primam maiestatis legem in republica Romana fuisse censerent; in quorum numero sunt CAR. SIGONIVS [b]) et, qui eum exscripserunt, GRAVINA [c]) atque

antiquissimo iuris Romani fonte, (Lips. 1744) cap. 3.

u) Peculiarem criminis maiestatis sub regibus historiam, sed more suo animadversionum politicarum farragine mixtam, sistit IO. HENR. BOECLERVS in *Commentatt. Plinianis* cap. 10. in EIVSD. *Dissertt. academicis* Tom. I. p. 808—824.

x) Lib. II. c. 10. Vol. I. pag. 258. ed. REISK.

y) *de Legibus Romanorum* cap. 2. pag. 34. sq.

z) *Histor. iur.* Vol. II. P. I. p. 11.

a) *Histor. iurispr. Rom.* Lib. I. cap. 2. pag. m. 8.

b) *de iudiciis* Lib. II. c. 29. *De maiestate vero primus Romulus tulit tum, cum legem de proditione sanxit, cuius Dionysius meminit.*

c) *Orig. iur. ciu.* Lib. III. §. 85. pag. 416. edit. MASCOV.

que HEINECCIVS [d]). Quod ad ipſam eius ſanctionem attinet, duplicem potiſſimum eſſe virorum doctorum de ea opinionem animaduertimus: alii enim ſub προδοσίᾳ in loco DIONYSIANO intelligunt ſimplicem praeuaricationem, qualis tantum inter patronos et clientes locum habere poterat, et Romuli legem de proditione eandem eſſe exiſtimant, quae legitur in XII. tabulis: PATRONVS SI CLIENTI FRAVDEM FAXIT, SACER ESTO, quamque a legibus regiis mutuatos eſſe Decemuiros cenſent [e]); alii contra intelligunt veram proditionem, et e verbis DIONYSII hanc mentem eliciunt: patronos et clientes, qui ſibi inuicem fraudes feciſſent, eandem poenam ex Romuli voluntate ſubiiſſe, quam ipſe per legem aliquam generalem in proditores patriae ſtatuerat [f]). Ac poſterior ſane interpretatio nobis praeferenda eſſe videtur tum propter ipſum vocabuli προδοσίας vſum, quod, ſi de legibus ſermo eſt, non facile alio ſenſu, quam de conſueto inſidiarum reipublicae ſtructarum crimine accipitur [g]), tum etiam propter Romuli conſilium, quod ſine dubio ante oculos habuit, dum mutua inter patronos et clientes officia conſtitueret. Voluit enim hoc vinculo cauere ſeditionibus, quae plerumque oriuntur, quando inferioris et egenae conditionis homines a potentioribus contemnuntur, aut illi opulentioribus inuident: quam quidem rationem affert ipſe HALICARNASSENSIS his verbis [h]): ἵνα μὴ στασιάζωσιν, ὥσπερ ἐν ταῖς ἄλλαις πόλεσιν, ἢ τῶν ἐν τέλει προπηλακιζόντων τὰς ταπεινὰς, ἢ τῶν φαύλων καὶ ἀπόρων τοῖς ἐν ταῖς ὑπεροχαῖς φθονούν-

d) *Antiquitt. Rom. iurisprud. illuſtr.* Lib. IIII. tit. 18. §. 47.

e) Videtur in hanc ſententiam diſcedere MERVLA *l. c.* Diſerte autem *proditionis priuatae aliquam ſpeciem* notari putat NOBCLERVS *l. c.* pag. 811. et totus in confirmanda hac opinione verſatur CHRISTOPH. KRETZSCHMAR in proluſionibus binis *de praeuaricatione patronorum ac clientium*, Dreſdae, 1759. et 1760. editis.

f) Praeter SIGONIVM, GRAVINAM et HEINECCIVM, quos omnes ſupra commemorauimus, accenſendi ſunt his FRID. BRVMMERVS in *Comment. ad Legem Cinciam*, cap. 2. pag. 20. ed. Lipſ. et GE. D'ARNAVD *variar. Coniect.* Lib. I. c. 4.

g) quidquid dicat CHRISTOPH. KRETZSCHMAR in Proluſ. 1. §. 5.

h) Lib. II. c. 9. Vol. I. pag. 254.

φθονέντων. De eadem re etiam PLVTARCHVS [i]): *μάλιστα δ᾽ ἂν τις τυγχάνοι τῦ εἰκότος, εἰ νομίζοι, τὸν Ῥωμύλον, ἀξιῦντα τὺς πρώτυς καὶ δυνατωτάτυς πατρικῇ κηδεμονίᾳ καὶ Φροντίδι προσήκειν ἐπιμελεῖσθαι τῶν ταπεινοτέρων, ἅμα δὲ τὺς ἄλλυς διδάσκοντα μὴ δεδιέναι, μηδ᾽ ἄχθεσθαι ταῖς τῶν κρειττόνων τιμαῖς, ἀλλὰ χρῆσθαι μετ᾽ εὐνοίας.* *Nihil itaque*, vt cum SCHVBARTO [k]) loquamur, *ad tranquillitatem excogitare poterat efficacius, quam iure aequabili referre ad ſeſe iuuandos, qui alias in partes iuiſſent;* nec quidquam reipublicae viſum eſt perniciosius, quam fraudulenta huius aequalitatis diſſolutio, quae proxime ad proditionem accedebat. Nihilominus fecit fortaſſe Romuli illa de proditione ſanctio legi XII. tabularum de neceſſitudine, quae intercedit patronis cum clientibus, locum; ita, vt in hac ſepararetur tantum a crimine proditionis neglectum patroni officium, et poena nominatim adderetur, quae prius ex Romuli voluntate vtrique delicto communis fuerat [l]). Sed redeat, vnde coepit, oratio noſtra. Fuit itaque vere Romulus auctor legis cuiuſdam de proditione, cuius tamen nulla amplius ſuperſunt veſtigia [m]), praeter poenam, quam HALICARNASSENSIS tradidit, quamque infra copiosius illuſtrabimus. Nec defuit eo regnante exemplum proditionis, quod ſine dubio ex iſta lege iudicatum fuit. Nam PLVTARCHVS [n]) narrat, a Romulo proditionis damnatum fuiſſe

Tarpe-

i) in *vita Romuli*, c. 13. Vol. I. p. 101.

k) *l. c.* Ex. I. §. 14.

l) Plus tamen fuit in Romuli, quam in XII. tabularum lege, ſi modo huius verba integra ad nos peruenerunt, de quo valde dubitamus. Nam Romulus, teſte DIONYSIO, de *mutuis* tam patronorum erga clientes, quam clientum aduerſus patronos iuribus praeceperat: lex decemuiralis autem loquitur tantum de patronorum in clientes officiis; quod obſeruauit iam MERVLA *l. c.* pag. m. 34. ſq.

m) Neque enim audemus cum GRAVINA *Orig. iur. ciu.* Lib. III. §. 85. pag. 416. pro certo affirmare, eſſe hanc legem Romuli a Decemuiris in XII. tabulas tranſlatam, eandemque, quae de perduellione ibidem reperiatur. Illud autem videtur probabilius, quamquam nec ipſum fines coniecturae excedat, fuiſſe eundem *τὸν τῶν λειποτακτῶν καὶ προδοτῶν νόμον*, ex quo ſub Tullo Hoſtilio capitali poena affectos eſſe Mettii Fuffetii ſocios narrat DIONYSIVS HALICARNASSENSIS Lib. III. c. 30. Vol. I. pag. 503.

n) in *vita Romuli* c. 17. Vol. I. pag. 114. *ἐάλω δὲ καὶ Ταρπήιος προδοσίας, ὑπὸ Ῥωμύλυ διωχθεὶς, ὡς Ἰόβας Φησὶ Γάλβαν Σελπίκιον ἱστορεῖν.*

Tarpeium, patrem virginis, quae, arce, cui ille praefectus fuerat, Sabinis prodita, ab iisdem in praemium proditionis interemta fuerat [o]).

Porro sub hoc rege originem videmur nobis inuenisse legis *de sanctitate murorum*, quam PIGHIVS [p]) proinde *primam perduellionis legem* nominat. Et fuit sane, si AVRELIO VICTORI [q]) fides est habenda, ante moenia exstructa lata: decantatissima autem facta est per necem Remi, cuius caussam Romulus satis turpiter inde sumsit. Ac murorum quidem sanctitatis origo haec fuit. Veteres, si vrbem condere vellent, locum ei designatum ante omnia sulco circumducto definiebant, et deinde moenibus cingebant, quae in deorum tutela futura esse sperabant, nisi portenti aliquid rem coeptam perturbasset, v. g. si lupi fines inuasissent, aut sulcum transiluissent; quo facto ab opere abstinebant [r]). Quodsi omnia legitime euenissent, tunc solenni precatione muros deorum alicui, in cuius tutela postmodum ipsa vrbs esset, dedicatos fuisse apud veteres legimus, ac, ne quid cerimoniae deesset, leges additas, quibus coli moenia deberent [f]); qualem ritum etiam in templis

 conse-

o) Negat quidem HALICARNASSENSIS Lib. II. c. 40. Vol. I. p. 321. Tarpeiam proditionis ream fuisse, hac ex caussa, quia honorifice sepulta fuerit in sacratissimo vrbis loco: siquidem proditionis vere conuictae ossa certe aliquando effossa et electa fuissent. Verum LIVII ac PLVTARCHI auctoritas, qui in contrariam sententiam abeunt, et Tarpeiam re vera proditionis ream faciunt, prohibet, quo minus DIONYSII coniecturae adstipulemur, praesertim, quum, vt ipse tradit, solo ea Pisonis testimonio nitatur, et argumento a sepulturae honore petito PLVTARCHI narratio obstet, qui in *vita Romuli* c. 18. Vol. I. pag. 115. Tarpeiam sepultam quidem illic, mox vero sub Tarquinio ossa eius alio delata fuisse, et ab eo tempore saxum, ex quo scelerati praecipitarentur, Tarpeii nomen accepisse refert.

p) *Annal. Rom.* Lib. I. Tom. I. pag. 17. Potest etiam profecto haec sanctio maiestatis legibus accenseri, quum frequenter *hostilis animus* tribui soleat ei, qui muros transcendere ausus sit. Exemplum est in L. vlt. D. *de Rer. Diuis.* vt taceamus vestigia in OVIDIO et DIONYSIO HALICARNASSENSI obuia.

q) *de viris illustribus* c. 1.

r) Rem omnem multis exposuit CHPH. LVDOV. CRELLIVS in Diss. *de publica ceremonia, qua vrbes condebantur* (Vitemb. 1731.) §. 10.

f) CRELLIVS *l. c.* §. 12. Quae leges quum non prius promulgari consueuerint, quam moenibus exstructis atque absolutis; patet, AVRELIVM VICTOREM, qui, vt

consecrandis obseruatum fuisse e LIVIO t) discimus. Iam, quae fuerit moenium sanctitas, facile intelligi poterit, in primis si audiamus PLVTARCHVM, de solennitatibus circa vrbes condendas adhibitis ita differentem u): διὰ τί πᾶν τεῖχος ἀβέβηλον καὶ ἱερὸν νομίζουσι, τὰς δὲ πύλας οὐ νομίζουσιν; ἢ (καθάπερ ἔγραψε Βάῤῥων) τὸ μὲν τεῖχος ἱερὸν δεῖ νομίζειν, ὅπως ὑπὲρ αὐτοῦ μάχωνται προθύμως καὶ ἀποθνήσκωσιν; οὕτω γὰρ δοκεῖ καὶ Ῥωμύλος ἀποκτεῖναι τὸν ἀδελφὸν, ὡς ἄβατον καὶ ἱερὸν τόπον ἐπιχειροῦντα διαπηδᾷν, καὶ ποιεῖν ὑπέρβατον καὶ βέβηλον. τὰς δὲ πύλας οὐχ οἷόν τ' ἦν ἀφιερῶσαι, δι' ὧν ἄλλα τε πολλὰ τῶν ἀναγκαίων καὶ τοὺς νεκροὺς ἐκκομίζουσιν. ὅθεν οἱ πόλιν ἀπ' ἀρχῆς κτίζοντες, ὅσον ἂν μέλλωσι τόπον ἀνοικοδομεῖν, ἐπίασιν ἀρότρῳ βοῦν ἄῤῥενα καὶ θήλειαν ὑποζεύξαντες. ὅταν τε τὰ τείχη περιορίζωσι, τὰς τῶν πυλῶν χώρας διαμετροῦντες, τὴν ὕνιν ὑφαιροῦσι, καὶ μεταφέρουσιν οὕτω τὸ ἄροτρον, ὡς τὴν ἀρημένην πᾶσαν ἱερὰν καὶ ἄσυλον ἐσομένην. Duplex itaque huius sanctitatis caussa fuisse videtur: altera lex dedicationis, aratri religio altera; quam quidem posteriorem manifeste innuit PLVTARCHVS verbis extremis, nec obscure colligere licet e duobus MANILII x) et LVCANI y) locis, quorum vterque narrat, magistratum ad moenia aratro designanda fuisse *succinctum*, quali habitu Romani non solum in pugna, sed etiam ad sacra facienda vtebantur z). Erat itaque arandi actus inter res sacras, et terra, quam aratrum tetigisset, inuiolabilis: ipsa autem cerimonia, teste VARRONE a) ex Etruria allata. Iam Romulum quoque hos ritus in condenda vrbe adhibuisse, praeter PLVTARCHVM b) refert DIONYSIVS HALICARNASSENSIS c): vnde non mirum, quod Romae

vt supra vidimus, *Romulum vrbem prius legibus, quam moenibus communiuisse* tradit, aut neglecto hoc antiquitatis ritu ὕστερον πρότερον fecisse, aut *moenia* in illo loco pro *aedificiis* ipsis posuisse.

t) Lib. I. c. 10.

u) *Quaest. Rom.* qu. 27. Vol. VII. p. 97.

x) *Astronom.* Lib. IIII. v. 556. sq.

— — *iunctisque iuuencis*
Moenia succinctus curuo describet aratro.

y) Lib. VII. v. 430.
Sarmatiumque premat succinctus Consul aratrum.

z) CRELLIVS *l. c.* §. 8. cf. OVIDIVS *Fastor.* Lib. IIII. v. 413.

a) *de Lingua Latina* Lib. IIII. c. 32.

b) *l. c.* et in *vita Romuli* c. 10. Vol. I. pag. 97.

c) Lib. I. c. 88. Vol. I. pag. 228.

Romae semper summa murorum religio mansit: cuius testem habemus CICERONEM [d]): *est mihi tecum pro aris et focis certamen, et pro deorum templis atque delubris, proque vrbis muris, quos vos, Pontifices, sanctos esse dicitis, diligentiusque vrbem religione, quam ipsis moenibus cingitis: quae deseri a me, dum quidem spirare potero, nefas indico.* De ipsa Romuli lege, num vere fuerit lata, dubitare aliquis possit, qui legerit SERVIVM [e]) inter fabulas referentem, quod Remus a fratre occisus fuerit propter muros superatos: quocum consentit HALICARNASSENSIS, qui Remum, contentione de imperio inter fratres orta, in proelio vtrimque commisso interfectum fuisse narrat [f]). Quum autem et ipse vulgarem opinionem statim addat, eamque maxima scriptorum pars sequatur, e quibus tantum LIVIVM [g]), CICERONEM [h]), OVIDIVM [i]), PLVTARCHVM [k]), FLORVM [l]), AVRELIVM VICTOREM [m]) et AVGVSTINVM [n]) nominamus: quidni huic potius narrationi fidem habeamus? Fac vero etiam, Remum non propter muros superatos, sed aliam quamcunque ob caussam a Romulo fuisse occisum: quid impedit, quo minus eiusmodi legem, quae muros sacrosanctos redderet, a Romulo latam fuisse statuamus, quem consuetis cerimoniis religiosis vrbem condidisse, ideoque et moenia dedicasse, omnes concedunt [o])? Hinc quoque iurisconsulti originem sanctitatis murorum non aliunde repetunt, quam e lege Romuli [p]). Certe POMPONIVS [q]): *Si quis violauerit muros, capite punitur: sicuti si quis transcendet scalis admotis, vel alia qualibet ratione. Nam ciues Romanos alia, quam per portas egredi*

d) *de Nat. Deor.* Lib. III. c. vlt.

e) *ad* VIRGILII *Aen.* Lib. VI. v. 780.

f) Lib. I. c. 87, Vol. I. p. 225.

g) Lib. I. c. 7.

h) *de Offic.* Lib. III. c. 10.

i) *Fastor.* Lib. IIII. v. 835. sqq.

k) *l. c.* et in *vita Romuli* c. 10. Vol. I. p. 96.

l) Lib. I. c. 1.

m) *l. c.*

n) *de Ciuit. Dei* Lib. III. c. 6. et 12.

o) Vel ipsum DIONYSIVM hac de re nobiscum consentire supra iam vidimus.

p) Omnia principum placita et responsa prudentum, quae de murorum sanctitate in libris iuris ciuilis leguntur, e lege Romuli originem suam duxisse, obseruauit iam MERVLA *l. c.* pag. 43. Errat itaque RITTERVS *ad* HEINECCII *histor. iur. ciu.* pag. 15. ed. SILBERRAD. qui Romulum eiusmodi legem sanxisse plane negat.

q) L. vlt. D. *de Rer. Diuis.*

egredi non licet, cum illud hostile et abominandum sit. Nam et Romuli frater, Remus, occisus traditur ob id, quod murum transcendere voluerit. Satis de origine legis: iam quid ea sancitum fuerit, videamus. Verba eius BALDVINVS [r]), tabulam, quam MARLIANVS ipsi haud dubio fictitiam exhibuerat [s]), praepostere sequutus, hunc in modum composuit: NE QVIS, NISI PER PORTAS, VRBEM INGREDITOR, NEVE EGREDITOR. MOENIA SACROSANCTA SVNTO. PIGHIVS [t]) autem ita legit: NE QVIS, NISI PER PORTAS, INGREDERETVR EGREDERETVRVE. MOENIA SACROSANCTA ESSENT. QVI CONTRA FECISSET, FOSSAM VEL VALLVM TRANSILISSET, TANQVAM PERDVELLIS IMPVNE MACTARETVR. Quidquid sit (nam profecto verba legum regiarum parum curare oportet, quum ne litterula quidem ex iis ad nostram aetatem peruenerit; modo sensum recte teneamus), hoc saltem certum est indubitatum, Romulum capitis poenam sanxisse in eos, qui muros transilire auderent. Inde OVIDIVS mentem eius sic expressit [u]):

Neue quis aut muros, aut factam vomere fossam
Transeat; audentem talia dede neci.

et mox [x]):

Sicque meos muros transeat hostis, ait.

Similiter LIVIVS [y]): *Sic deinde, quicunque alius transiliet moenia mea.* Manifeste autem hoc confirmat POMPONII locus, quem supra laudauimus [z]). Illud etiam quaeri potest, vtrum Romulus hanc legem viuo adhuc Remo sanxerit, an ab eius nece caussam interdicti sumse-

r) *ad Leges Romuli* c. 12. in HEINECCII *iurispr. Rom. et Att.* Tom. I. p. 40.

s) Obseruarunt hoc IAC. GOTHOFREDVS in *bibliotheca iur. Rom.* cap. 1. §. 1. ERICVS MAVRITIVS *de libris iur. comm.* §. 1. pag. 92. GE. SCHVBARTVS *l. c.* Ex. I. §. 53. et GE. D'ARNAVD *var. Coniect.* Lib. I. c. 3. Ceterum sequuti sunt BALDVINVM PARDVLPHVS PRATEIVS in *iurisprud. vet.* in EV. OTTONIS *thes. iur. Rom.* Tom. IIII. p. 443. CHRIST. GODOFR. HOFFMANNVS in *histor. iur.* Vol. II. P. I. p. 13. et, licet paullum inuerso ordine, MERVLA *l. c.* pag. 42.

t) *l. c.* Tom. I. pag. 17.

u) *l. c.* Lib. IIII. v. 839. sq.

x) *l. c.* v. 848.

y) Lib. I. c. 7.

z) cf. §. 10. I. *de Rer. Diuis.*

ſumſerit? Ac prior quidem ſententia verior videtur nobis tum propter CICERONIS [a]), OVIDII [b]) et AVRELII VICTORIS [c]) teſtimonia, tum in primis, quod moenia viuo adhuc Remo erant abſoluta; quare ea oportuit iam tunc fuiſſe conſecrata et lege dedicationis munita. Denique quod attinet ad viciſſitudines, quas ſubiit haec lex ſequiore aeuo; varie eam auctam legimus fuiſſe atque amplificatam [d]): ita, vt non ſolum ad caſtra et municipiorum moenia [e]) prolatam, ſed etiam omnino cautum reperiamus, ne quid in muris fieret, ex quo damnum aut incommodum irrogaretur [f]), neue a priuatis hominibus, ſine Principis permiſſu, habitarentur [g]).

Vltima tandem Romuli lex, quae videri poſſit ad maieſtatis crimen pertinuiſſe, haec vulgo dicitur fuiſſe: NE NOCTVRNAE IN TEMPLIS VIGILIAE HABERENTVR [h]): cui PIGHIVS

a) *de Offic.* Lib. III. c. 10. *At in eo rege, qui vrbem condidit, non ita. Species enim vtilitatis animum pepulit eius: cui quum viſum eſſet vtilius, ſolum, quam cum altero regnare, fratrem interemit. Omiſit hic et pietatem, et humanitatem, vt id, quod vtile videbatur, neque erat, adſequi poſſet; et tamen muri cauſſam oppoſuit, ſpeciem honeſtatis neque probabilem, neque ſatis idoneam. Peccauit igitur; pace vel Quirini, vel Romuli dixerim.*

b) *l. c.*

c) *l. c.*

d) Exponunt has viciſſitudines MERVLA *l. c.* p. 43. HOFFMANNVS *l. c.* pag. 14. CRELLIVS *l. c.* §. 13. 14. et CHRIST. WILH. KÜSTNERVS in *Chreſtomathia iuris Enniana* pag. 11. ſqq.

e) Qui vallum tranſcendit aut per murum caſtra ingreditur, capite punitur ſecundum L. 3. §. 7. D. *de re militari.* De municipiis eadem ſanciuntur in L. 8. §. 2. D. *de Rer. Diuiſ.* Prolixe hoc probauit MARCVS LYCKLAMA *Membran.* Lib. III. Ecl. 6. Nec fas fuit, muros municipales ſine praeſidis vel Principis auctoritate reficere, aut aliquid eis coniungere vel ſuperponere: L. 9. §. 4. D. *eod.* Fuit autem murorum cura penes Principes, quatenus erant Pontifices Maximi: CRELLIVS *l. c.* §. 14.

f) L. 2. D. *ne quid in loco ſacro.*

g) L. vlt. D. *eod.* Additur: *propter fortuita incendia.* Colligunt quidem nonnulli, vt MERVLA et HOFFMANNVS *ll. cc.* ex L. 1. D. *de offic. Praef. vig.* licuiſſe ſoli *familiae publicae,* quae incendiorum cauſſa ibi eſſet diſpoſita, in muris habitare: ſed recte de hoc iam KÜSTNERVS dubitauit, cuius argumentis vnum illud adiiciamus, eſſe in d. L. 1. ſermonem tantum de temporibus ante Auguſtum, quibus nondum conſtitutus fuit peculiaris vigilum praefectus. Sub Principibus autem hanc familiam fuiſſe dimiſſam et loco eius ſeptem cohortes in alia loca opportuna ſecundum regiones vrbis diſpoſitas, vnusquiſque facile intelliget, qui L. 2. et 3. cum *prima* coniunxerit.

h) Ita habent BALDVINVS *ad LL. Romuli*

GHIVS [i]) haec addit: NEVE COITIONES CLANCVLARIAE FIERENT, AVT QVID PER NOCTEM MINVS CASTE RELIGIONIS SPECIE COMMITTERETVR. Prouocant plerumque, qui hanc inter Romuli instituta referunt [k]), ad DIONYSIVM HALICARNASSENSEM [l]) et CICERONEM [m]); sed profecto non videmus, quomodo ex his eiusmodi Romuli lex cum aliqua probabilitatis specie elici possit. Ille enim, postquam Romulum etiam religionis curam gessisse, multaque praeclara circa eam instituisse narrauit, vniuerse laudat cultum deorum simplicem et a fabulis indecoris purgatum, quem adhuc sua aetate inter Romanos obseruari dicit, et in hac laudatione pergit: *οὐδ᾽ ἂν ἴδοι τις παρ᾽ αὐτοῖς, καίτοι διεφθαρμένων τῶν ἐθῶν ἤδη, οὐ θεοφορήσεις, οὐ κορυβαντιασμοὺς, οὐκ ἀγερμοὺς, οὐ βακχείας καὶ τελετὰς ἀπορρήτους, οὐ διαπαννυχισμοὺς ἐν ἱεροῖς, ἀνδρῶν σὺν γυναιξὶν, οὐκ ἄλλο τῶν παραπλησίων τούτοις τερατευμάτων οὐδέν.* Ibi ne verbulo quidem eiusmodi legem a Romulo latam commemorari videmus: quidquid enim de vigiliis nocturnis, mysteriis et coetibus clandestinis apud Romanos infrequentibus a DIONYSIO traditum legitur, id manifeste de scriptoris aetate intelligendum, neque ad Romuli instituta referendum esse, vnusquisque facile concedet, qui modo sequentia cum antecedentibus comparauerit. CICERONIS autem testimonium, qui legem aliquam fingit: *Nocturna mulierum sacrificia ne sunto, praeter olla, quae pro populo rite fiant*, hac quidem in caussa prorsus reprobamus, quum totus iste locus non in eo versetur, vt recenseantur verae Romanorum leges, sed vt deliberetur, quae sint vnicuique ciuitati saluberrimae sanctiones. Hinc mox ipse CICERO [n]):

non

muli c. 8. in HEINECCII *iurispr. Rom. et Att.* Tom. I. pag. 34. PARDVLPHVS PRATEIVS in *iurispr. vet.* in OTTONIS *thes. iur.* Tom. IIII. pag. 442. et HOFFMANNVS *l. c.* Vol. II. P. I. pag. 30.

i) *l. c.* Tom. I. p. 18.

k) Quo pertinent praeter BALDVINVM, PRATEIVM, HOFFMANNVM et PIGHIVM, P. MANVTIVS *de Legibus Romanis* c. 2. in GRAEVII *thes. antiquitt. Rom.* Tom. II. p. 1029. et GE. CHRISTI. GEBAVER in *Romulo*, inter EIVSD. *Exercitatt. acad.* a WEISSMANTELIO editas, Vol. I. pag. 28.

l) Lib. II. c. 19. Vol. I. pag. 274.

m) *de Legg.* Lib. II. c. 9. 14. et 15.

n) *l. c.* c. 14.

non enim populo Romano, ſed omnibus bonis firmisque populis leges damus. Quod vero nonnunquam idem legum ſuarum formulas a Romanis inſtitutis mutuatus eſt, id nos mouere non poteſt, vt omnia omnino legum CICERONIANARVM capita e iure Romano fluxiſſe exiſtimemus. Accedit, quod, ſi vel maxime concedamus, reſpondiſſe huic ſanctioni e Romanis legibus aliquam, ea tamen certe non Romulo, ſed Numae Pompilio potius tribuenda eſſe videatur. Ita enim Atticus excipit [o]): *non multum diſcrepat iſta conſtitutio religionum a legibus Numae.* Sequente aeuo fuerunt quidem ſemper Romae nocturna ſacra prohibita, at non ſemper hae leges obſeruatae, ita, vt Conſtantio tandem viſum ſit, eiuſmodi ſacra a Magnentio tyranno permiſſa penitus abolere [p]). Neutiquam tamen origo horum interdictorum XII. tabularum tempora [q]), aut, quod maximum eſt, Numae aetatem videtur ſuperaſſe. Ceterum ne eum quidem, quem MANVTIVS [r]) et GEBAVERVS [ſ]) legi huic, ſi qua fuit, attribuunt, finem, ne ſcilicet ſacrorum, clandeſtinorum in primis atque nocturnorum, praetextu vlla fieret coitio, ne quid iniri aduerſus ipſum regem, publicamue rem occulti conſilii, ne quid inſidiarum tendi poſſet, principem eius et propriam putamus fuiſſe cauſſam, quum non e DIONYSII ſolum, ſed CICERONIS quoque verbis [t]) appareat, mulierum potius pudicitiae et famae hoc inſtitutum conſuluiſſe, ne viris temere permiſtae, ſub ſpecie ſacrorum, caſtos mores contaminarent.

§. III

o) *l. c.* c. 10.

p) L. 5. Cod. Th. *de paganis, ſacrificiis et templis*, vbi conſulendus IAC. GOTHOFREDI *Commentarius*. Exemplum ſacrorum nocturnorum habet MACROBIVS *Saturn.* Lib. I. c. 3.

q) Intelligimus legem, quam IAC. GOTHOFREDVS in fontibus quatuor iuris ciuilis p. 143. ad tabulam VIIII. retulit: SI QVIN VRBE COETVS NOCTVRNOS AGITASIT, CAPITAL ESTO, quamque ipſe PORCIVS LATRO in *Declam. in L. Serg. Catilinam* c. 19. vnde hoc caput ſumtum eſt, *primam* in hoc genere fuiſſe dicit.

r) *l. c.*

ſ) *l. c.*

t) *l. c.* c. 15.

§. III.

NVMAE POMPILII ET TVLLI HOSTILII LEGES.

Satis de Romulo: iam ſucceſſorum leges ſunt inueſtigandae. De *Numa Pompilio* quidem PIGHIVS [a]) haec habet: „*Legem de perduellione tulit: Si quis aduerſus rempublicam faciundo regis magiſtratusue populiue maieſtatem hoſtili animo laedat, perduellis eſto. Hanc cum alia ſuperiore de parricidio prius a Romulo latam retuliſſe atque ita declaraſſe videtur Numa, vtramque inſuper eadem capitali poena ſanxiſſe hoc modo: DVVMVIRI IVDICENT. SI A DVVMVIRIS PROVOCARIT, PROVOCATIONE CERTATO: SI VINCENT, CAPVT OBNVBITO, INFELICI ARBORI RESTE SVSPENDITO, VERBERATO VEL INTRA POMOERIVM, VEL EXTRA POMOERIVM. Vtraque lege reus fuit primus M. Horatius Tergeminus.*“ Quae lex, ſiue Romuli ſit, ſiue Numae Pompilii, ſiue ipſius *Tulli Hoſtilii*, quum magis ad iudicium, quam ad ſpeciem aliquam ſingularem perduellionis ſpectet, et infra opportunior futurus ſit noſtram de ea ſententiam exponendi locus, in quem omnia, quae de iudicio maieſtatis ſub regibus obſeruauimus, differre inſtituimus: non diutius in ea morabimur, ad reliquorum potius regum de hoc crimine ſanctiones progreſſuri, quia ſub Numa et Tullo Hoſtilio, praeter legem a PIGHIO laudatam, nullam amplius, quae huc referri poſſit, animaduertimus [b]).

§. IIII.

LEGES RELIQVORVM REGVM.

Anci Marcii et *Tarquinii Priſci* quemadmodum paucae tantummodo fuerunt leges: ita etiam noui quid circa perduellionem eos ſanxiſſe,

a) *l. c.* Tom. I. pag. 35.

b) Supra enim iam diximus, videri legem illam, quam DIONYSIVS HALIC. Lib. III. c. 30. Vol. I. p. 503. ſub Tullo commemorat, et *τὸν τῶν λειποτακτῶν καὶ προδοτῶν νόμον* appellat, non nouam ſanctionem, ſed eandem, quam alio loco tanquam *νόμον τῆς προδοσίας* Romulo tribuerat.

ſanxiſſe, nuſquam memoriae proditum legimus. De *Seruio Tullio* autem certiores ſumus. Is enim diſerte dicitur a DIONYSIO HALICARNASSENSI non ſolum quinquaginta leges de contractibus et *delictis* tuliſſe [a]), (in quibus nonnulla quoque de perduellione conſtituta fuiſſe ſuſpicari licet) ſed etiam eorum criminum, quae ad rempublicam pertinerent, cognitionem lege expreſſa ſibi ſolus reſeruaſſe, priuatorum delictorum coercitione iudicibus peculiaribus relicta [b]). Verum hoc quoque inſtitutum, quia ad iudicia pertinet, infra pluribus proſequemur.

Quid autem de *Tarquinio Superbo* ſtatuemus, quem idem DIONYSIVS [c]) ait omnem diſciplinam et leges patrias euertiſſe atque corrupiſſe? Ac profecto eius imperium crudelitate magis et ſaeuitia, quam legibus inſigne fuit: ita vt nihil illo tempore frequentius eſſet poenis, quae viris bonis ſub ſpecie criminis in Principem commiſſi irrogarentur: quam ob cauſſam etiam, vbi ad iudicia maieſtatis delati erimus, huius regis hiſtoria largam nobis praebebit dicendi materiam. Fuit tamen peculiare quoque Tarquinii Superbi edictum, quod praeter BRISSONIVM [d]) et HEINECCIVM [e]) nemo, quod quidem ſciamus, obſeruauit, quodque ab hoc loco haud alienum eſſe cenſemus. Memoratur id a DIONYSIO HALICARNASSENSI [f]) his verbis: *συνόδους τε συμπάσας, ὅσαι πρότερον ἐγίνοντο κωμητῶν ἢ φρατριαστῶν ἢ γειτόνων ἔν τε τῇ πόλει καὶ ἐπὶ τῶν ἀγρῶν ἐφ᾽ ἱερὰ καὶ θυσίας πάσας κοινὰς, προεῖπε μηκέτι συντελεῖν, ἵνα μὴ συνιόντες εἰς τὸ αὐτὸ πολλοὶ βουλὰς ἀπορρήτους μετ᾽ ἀλλήλων ποιῶνται περὶ καταλύσεως τῆς ἀρχῆς.* Abiiſſe autem in explicando hoc loco viros doctos, quos modo laudauimus, BRISSONIVM et HEINECCIVM, in diuerſas ſententias, animaduertimus.

 Ille

a) Lib. IIII. c. 13. Vol. II. pag. 668. vbi perperam *ἀδικήματα* per *iniurias* reddidit AEMILIVS PORTVS, quem REISKIANA editio ſequitur: vid. quae de hoc vocabulo notauit GE. D'ARNAVD *var. Coni.* Lib. I. c. 17.

b) Lib. IIII. c. 25. Vol. II. pag. 700.

c) Lib. IIII c. 41. Vol. II. pag. 745.

d) *Select. ex iur. ciu. antiquitt.* Lib. I. c. 14.

e) in Ex. *de collegiis et corporibus opificum,* c. 1. §. 8. in EIVSD. *Opuſc. var. Syll.* pag. 390.

f) Lib. IIII. c. 43. Vol. II. pag. 750.

Ille enim edicto exemta arbitratur fuisse collegia a Numa instituta, reliqua omnia (potissimum igitur sacra curialia a Romulo profecta) sublata: hic autem omnes omnino coetus, ideoque etiam collegia opificum a Numa ordinata, prohibita fuisse censet. Nec dubitamus, posteriori huic opinioni suffragari: tum, quia eadem profecto tyranno fuit in corporibus artificum, quae in reliquis coetibus abolendis, prohibendi ratio, quippe quorum neutrum putauit suo imperio conducere; tum etiam, quia statim post reges exactos opificum collegia aegre tantum restituta fuisse legimus g). Accedit, quod Tarquinium, qui omnia fere regum antiquiorum instituta, licet sapientissima, exstinxerat h), ab artificum sodalitatibus abstinuisse, vix sit credibile. Recte vero BRISSONIVS vetustiorem huius generis legem in republica Romana occurrere negauit. Ceterum verborum CICERONIS i), quibus legem de perduellionis poena §. III. laudatam Tarquinio Superbo adscribere videtur, non eam esse vim, vt illam demum sub hoc rege ortam esse dicat, sed tantum ista tempestate vsum eius fuisse frequentissimum iudicet, iam viri docti ante nos animadverterunt k).

§. V.

IVDICIVM MAIESTATIS SVB REGIBVS.

Superest, vt, qualis fuerit iudiciorum de maiestatis crimine sub regibus forma, et quis poenarum modus in iis obtinuerit, paucis

g) Multis hoc probat HEINECCIVS *l. c.* §. 9. pag. 391. sq.

h) Testis est HALICARNASSENSIS Lib. IIII. c. 41. et 43. Vol. II. p. 745. et 749.

i) in Or. *pro C. Rabirio*, c. 4. *Namque haec tua, quae te hominem clementem popularemque delectant*: I lictor, colliga manus, *non modo huius libertatis mansuetudinisque non sunt, sed ne Romuli quidem, aut Numae Pompilii*: Tarquinii, *superbissimi atque crudelissimi regis, ista sunt cruciatus carmina: quae tu, homo lenis ac popularis, libentissime commemoras*: caput obnubito, arbori infelici suspendito.

k) Ita hunc locum interpretantur ANT. CONTIVS in *Indice coniurationum*, adiecto SCIP. GENTILIS *de Coniurationibus* Lib. II. p. m. 240. et ANONYMVS in *Suspicione de emendando* TACITO *Annal.* Lib. XI. c. 22. quae legitur in *Opusculis iuridicis ex obseruationibus miscellaneis Batauis in vnum volumen collectis ab* ILLVSTRI I. L. E. PÜTTMANNO (Hal. 1782. 8.) pag. 110. sq.

paucis videamus. Quod ad *iudicia* primo attinet, constat ex DIONYSIO HALICARNASSENSI [a]), penes reges quidem potestatem fuisse de omnibus criminibus iudicandi, sed Romulum iam distinxisse inter delicta grauiora et leuiora, ita vt illorum cognitionem sibi reseruaret, haec autem consiliariis suis iudicanda permitteret, quamquam nec de grauioribus sine consilio ipsum aut successores iudicasse probabile est; modo ne necessitatis id fuisse existimemus. Tantum enim abest, vt in HALICARNASSENSIS loco cum GELENIO et SIGONIO [b]) sub βȣλευταῖς intelligamus *senatum*, vt potius libenter subscribamus sententiae GEORGII D'ARNAUD [c]) et ADRIANI VAN DER HOOP [d]), qui more Lacedaemoniorum peculiares putant regibus in cognoscendis delictis adiunctos fuisse consiliarios, quibus leuiora delicta omnia essent commissa, grauiora autem tunc demum, si regibus eos in consilium adhibere placeret: ac ne tunc quidem huic adstrictos fuisse reges, sed a consilii sententia potuisse recedere, quamquam plerumque moris fuerit, vt eam sequerentur. Miramur autem desiderare ADRIANVM VAN DER HOOP regum aetate exemplum, quo hi vere sequuti sint consilii sententiam, quum in promtu sit DIONYSII [e]) de Mettii Fuffetii iudicio narratio, secundum quam Tullus Hostilius, cognita Fuffetii et sociorum proditione, consiliariis istis sub mediam noctem domo euocatis non solum facinus proditionis aperuit, sed etiam ab iisdem, vt inter se consultarent, quo supplicio proditores essent afficiendi, petiit: quo facto, quum omnes quidem necessarium iudicassent, vt in auctores sceleris animaduerteretur, sed de modo supplicii inter eos non conueniret; ipse rex postremus sententiam suam promulgauit, quam quum omnes approbassent, exsequi non dubitauit. Manifestum profecto exemplum consilii a regibus in

a) Lib. II. c. 14. Vol. I. pag. 264. τῶν τε ἀδικημάτων τὰ μέγιςα μὲν αὐτὸν δικάζειν, τὰ δὲ ἐλάττονα τοῖς βȣλευταῖς ἐπιτρέπειν, προνοȣ́μενον ἵνα μηδὲν γένηται περὶ τὰς δίκας πλημμελές.

b) *de iudic.* Lib. II. c. 4.

c) *var. Coniect.* Lib. I. c. 17.

d) in Diss. *de iis, qui antiquitus apud Romanos de criminibus iudicarunt*, cap. 1 — 3. in *Supplem. thes.* MEERMANNIANI, pag. 608. sqq.

e) Lib. III. c. 26. Vol. I. p. 488. sq.

in iudicandis cauſſis capitalibus adhibiti, quod ſi a viris doctis diligenter fuiſſet perpenſum, non facile cuiquam veritas huius rei ſuſpecta videri potuiſſet. Caue tamen, ne ſub omnibus regibus conſilium illud in vſu fuiſſe exiſtimes: imo Tarquinii, vltimi regis, tanta fuit ſuperbia, vt, teſte LIVIO [f]), *cognitiones capitalium rerum, vt pluribus metum incuteret, ſine conſiliis per ſe ſolus exercuerit,* quod eum praeter morem a prioribus regibus traditum feciſſe idem ſcriptor addit.

Iam vt de viciſſitudinibus variis, quibus maieſtatis iudicium ſub regibus fuit obnoxium, clarius conſtare poſſit: omnem diſputationis cardinem in hoc verſari arbitramur, vt, quae ſub ſingulis regibus de iudiciorum capitalium ordine obſeruauerimus, exponamus. Quam libelli noſtri partem ſi forte viri docti animaduerterint variis erroribus eſſe deformatam, veniam ab iis eo facilius impetrabimus, quo difficilius eſſe, in farragine opinionum ſaepe toto coelo diuerſarum, quibus hoc potiſſimum argumentum eſt refertum, veritatem conſectari, ipſi optime nouerint. *Romulum* quidem, quem ſupra iam vidimus cognitionem omnium cauſſarum capitalium grauiorum ſibi reſeruaſſe, non tamen penitus excluſo τῶν βϐλευτῶν conſilio, hoc modo etiam maieſtatis iudicium exercuiſſe, facile eſt ſuſpicari: nec eſt, cur *Numae* idem placuiſſe dubitemus. De ipſo tamen iudiciorum ordine et forma nondum certi quid afferre licet, quoniam primum perduellionis ſolenni modo iudicatae exemplum *Tulli* demum regis hiſtoria exhibet, cuius aetate celeberrimum illud *Horatianum*, vt vulgo vocant, *iudicium* occurrit [g]), de quo quid nobis videatur, ſtrictim exponemus.

Locus

f) Lib. I. c. 49.

g) Innumera ſunt ſcriptorum, tam veterum, quam recentiorum, de illo iudicio loca, ex quibus haec ſeligere placet: CICERONIS *de Inuent. rhet.* Lib. II. c. 26. et 27. LIVII Lib. I. c. 26. DIONYSII HALICARNASS. Lib. III. c. 21. Vol. I. pag. 461 — 470. et e recentioribus IAC. RAEVARDI *ad Leges XII. tabularum* cap. 27. in EIVSD. *Opp.* Tom. I. p. 114. ſqq. ANT. CONTII *l. c.* pag. 239. ſqq. CAR. SIGONII *de iudic.* Lib. III. c. 4. ZACH. HVBERI *Diſſertat.* Lib. III. c. 2. §. 22. ſqq. pag. 577. ſqq. GEBAVERI *Tullum Hoſtilium* in EIVSD. *Exercitt academ.* Vol. I. p. 64. ſqq. ANONYMI *l. c.* in *Opuſc. iurid.*

Locus classicus quidem de hoc iudicio est apud LIVIVM [h]); neque tamen negligenda penitus videtur HALICARNASSENSIS [i]) narratio, vtpote qui de initio iudicii habet nonnulla, quae apud LIVIVM frustra quaesiueris. De hoc enim LIVIVS nihil dicit, praeterquam, quod Horatius, sorore interfecta, raptus fuerit in ius ad regem; sed DIONYSIVS pluribus ita rem proponit: Horatium in eorum, qui patriae male vellent, numerum, posuisse etiam sororem suam, et hoc nomine de ea capitalem poenam sponte sumsisse; tunc vero e ciuibus viros non obscuros Horatium apud Regem caedis reum egisse, *legibus nixos, quae non paterentur quemquam indicta caussa occidi:* τὺς νόμυς παρεχομένοι τὺς ὐκ ἐῶντας ἄκριτον ἀποκτείνειν ὐδένα. Hactenus HALICARNASSENSIS: iam hunc cum LIVIO coniungamus. In eo quidem conueniunt omnes, Tullum non ipsum, sed per alios iudicasse de Horatii facinore: HALICARNASSENSIS autem addit, populo Regem statim hoc iudicium permisisse; LIVIVS contra Duumuiros intercessisse refert: quae quidem sententia posterior videtur esse probabilior. Hi Duumuiri vtrum nouo instituto a Tullo primum fuerint creati, an iam sub Romulo, aut certe Numa Pompilio locum habuerint, varie disceptatum est a viris doctis [k]): nos vero e LIVII et DIONYSII narratione priorem opinionem defendi posse arbitramur. Romulum enim constat solum de delictis atrocioribus iudicasse, nec est, cur hunc morem ad Tullum vsque viguisse negemus. Si enim sub alterutro rege, Romulo aut Numa, duumuiri capitales iam fuissent creati, certe LIVIVS id non reticuisset: imo hic et DIONYSIVS diserte addunt caussam, ob quam Tullus, posthabita prisca consuetudine,

huic

iurid. ex Obss. miscellaneis Bat. pag. 94. sqq. ADR. VAN DER HOOP *l. c.* c. 2. et 3. pag. 611. sqq. et EXCELLENTISSIMI IO. FRID. IVNGHANNS Exerc. *de iudicio Horatiano eiusque in iure vsu*, praeside AVG. FRID. SCHOTT, VIRO ILLVSTRI, Lips. 1777 habitam.

h) *l. c.*

i) *l. c.*

k) Duumuiros non sub Tullo primum, sed iam sub prioribus regibus creatos fuisse, volunt PIGHIVS *Annal.* Tom. I. p. 18. et 35. SIGONIVS et RAEVARDVS *ll. cc.* atque ANONYMVS auctor *l. c* pag. 110. sqq. sub Tullo autem demum institutos esse probant GEBAVER *l. c.* p. 67. VAN DER HOOP *l. c.* pag. 613. et EXC. IVNGHANNS *l. c.* pag. 10. sq.



huic iudicio ipse non praefuerit: *ne ipse tam tristis ingratique ad vulgus iudicii, aut secundum iudicium, supplicii auctor esset.* Hinc Tullus: *Duumuiros, inquit, qui Horatio perduellionem iudicent, secundum legem facio* [l]). Non itaque sine lege aliqua, quae tunc fuit curiata, creati sunt Duumuiri: quali autem, statim videbimus. Pergit LIVIVS: *Lex horrendi carminis erat: Duumuiri perduellionem iudicent. Si a duumuiris prouocarit, prouocatione certato: si vincent, caput obnubito: infelici arbori reste suspendito: verberato vel intra pomoerium vel extra pomoerium.* Haec verba mirum est, quantum negotii fecerint viris doctis, et quam varie fuerint ab iis explicata. Nos quidem optime rem expediri posse arbitramur, si omnis disceptatio in *quatuor* quaestiones distinguatur; quarum *prima* indagetur origo et munus duumuirorum, *altera* legis modo recitatae sensus eruatur, *tertia* perduellionis vis explicetur, et *quarta* prouocationis in hoc iudicio vsus definiatur.

Duumuiros itaque primum a Tullo Hostilio creatos fuisse, modo probauimus, et simul caussam, propter quam Tullus eos instituit, e LIVIO cognouimus. Fuit autem duplex: partim, vt iudicii inuidiam a se remoueret, partim, ne quid legum seueritati aut suae potestati detraheret. Nefas enim duxit sponte absoluere hominem, cuius delictum manifestum erat et in conspectu totius populi perpetratum; mouit tamen et fortitudo viri, et gratia, qua valebat apud populum, vt viam quasi ei monstraret, qua liberari a supplicio posset. Hoc non aliter fieri poterat, quam si iudicium delicti et sententiae, si ita dicere licet, pronuntiationem aliis demandaret, a quibus tamen esset prouocatio. Instituit igitur duumuiros, qui Horatio perduellionem iudicarent, sed ea formula instituit, vt absoluendi facultas iis esset ademta, quod disertis verbis LIVIVS [m]) significat. En igitur hic primam duum-

virorum

l) Perinde nobis videtur, vtrum vulgaris haec interpunctio seruetur, an recentiorum editionum lectio recipiatur, quae ita distinguunt: *qui Horatio perduellionem iudicent secundum legem, facio:* v. DRAKENBORCH ad LIVII *l. c.* Tom. I. pag. 114. Vtrumque ex nostra interpretatione aptum sensum praebet.

m) *l. c. Hac lege duumuiri creati, qui se absoluere non rebantur ea lege, ne innoxium quidem, posse.*

virorum originem, quorum si postmodum etiam libera republica inueniuntur vestigia, magis eos tunc ad imitationem primi iudicii perduellionis constitutos, quam eodem plane munere functos fuisse suspicamur: quia profecto non omnia facinora erant ita manifesta, vt iudici liceret tantum condemnare, non absoluere. Horatianorum autem duumuirorum potestatem his limitibus angustis fuisse circumscriptam, in caede coram toto populo perpetrata non est mirum.

Iam legem ipsam, cuius *carmen horrendum* seruauit nobis LIVIVS, etsi a Tullo latam fuisse non negemus, tamen ad antiquiorem aliquam sanctionem necessario respexisse opinamur. Erat enim, quod cum GEBAVERO suspicari nobis licet, tantum lex singularis, in Horatii fauorem a Tullo primum proposita, neque vltra eius iudicium proferenda, ideoque ad priuilegium proxime accedebat; nec tam de *crimine*, quam de *duumuirorum creatione* latam eam fuisse arbitramur. Id quidem colligere nobis videmur non solum e verbis LIVII: *hac lege duumuiri creati*, et iis, quae proxime praecesserant: *Duumuiros — secundum legem facio: lex horrendi carminis erat;* sed etiam ex integra legis ipsius sanctione, quae tantum de his, quae duumuiris agenda erant, praecipiebat. Ac quis tandem existimet, potuisse eiusmodi legem iam ante Tullum vniuerse de perduellionis crimine scriptam esse, quum aperte, vt modo docuimus, duumuiros destituat omni absoluendi potestate, et ad eiusmodi factum respiciat, quod ipse reus sit confessus; ita, vt de veritate delicti nulla amplius supersit cognitio, sed tantum propter supplicii modum et sententiae pronuntiationem iudicium adhuc sit necessarium. Profecto crudelior hac lege, si generalis fuisset, cogitari nulla potuisset! Verum enimuero Horatii crimen erat hoc modo comparatum, vt, nisi Rex vim manifestam inferre vellet legibus, non posset alios constituere iudices, quam quibus praeter condemnationem nihil liceret. Vere itaque Horatium a Rege condemnatum fuisse nihil impedit, quin statuamus, modo sententiae pronuntiandae inuidiam eum a se remouere voluisse concedamus. De solo itaque crimine Horatiano ista lex est accipienda,



pienda, nec ad perduellionem generatim applicanda. Iam vero, audimus nonnullos dicentes, quomodo Tullus potuit auctor esse huius legis, quum in ea claris verbis definiatur *supplicium* de Horatio sumendum, ac nihilo secius Rex a LIVIO dicatur Duumuiros creasse, *vt ne supplicii ipse auctor esset?* Nonne hoc modo primus et solus *supplicii Horatiani auctor* est censendus? Ac profecto dubitatio haec tanti aliquando visa nobis est momenti, vt parum abfuerit, quin propter eam solam mutaremus nostram sententiam. Sed salua res est. Quid enim, si Tullum hoc supplicii genus ex aliqua lege antiquiore in iudicium Horatianum transtulisse statuamus, in qua pridem id sancitum esset, siue Romuli illa, siue Numae Pompilii, siue vel ipsius Tulli fuerit? Oportuit vero istam legem ita esse comparatam, vt ad perduellionis, quae proprie sic dicitur, speciem aliquam spectauerit et eius supplicium determinauerit. Neque enim audemus contendere, sub *perduellione* in nostra lege intelligi quoduis atrox facinus, quum vix credibile sit, legem, cuius propria verba seruauit nobis LIVIUS, quaeque ipsam condemnandi formulam (*Duumuiri perduellionem iudicent*) exhibuit, tam vage loquutam esse, vt cardinem totius iudicii, h. e. speciem delicti eiusque poenam, generali nomine, quo multa alia quoque facinora comprehenderentur (quale est ex opinione virorum doctorum hoc loco *perduellionis* vocabulum), designauerit. Imo necessaria omnino visa est Tullo regi determinatio generis delicti, cuius reum Horatium iudicari volebat; ac ne legibus fraus fieret, ipse praescripsit iudicibus formulam, ex qua sententiam pronuntiarent. Hinc illa priuilegii verba: *Duumuiri perduellionem iudicent,* quibus ex superioribus addendum est: *Horatio;* h. e. volo, vt duumuiri meo loco per sententiam, Horatium perduellionis reum esse, pronuntient et poenam in perduellionem statutam eidem irrogent. Monuimus haec eorum potissimum caussa, qui, quia necessitatem viderunt determinandi speciem delicti, cui obnoxium Horatium facerent, *parricidium* dixerunt crimen eius, et secundum leges de parricidio a Romulo et Numa latas iudicatum fuisse voluerunt. Et esset sane haec coniectura

fati;

ſatis ſpecioſa, niſi obſtaret in lege ſaepius commemorata *perduellionis* vocabulum, quod neutiquam improprie accipere poſſumus; cui accedit, quod nihil prorſus apud veteres de parricidii poena ex legibus regiis vſitata reperire licet, praeter expiationem homicidii imprudentis, quam ex ſchedis SERVIANIS reſtituit IOS. SCALIGER [n]), quaeque a piaculo Horatiano longe diuerſa fuit. Vnde profecto non videmus, quo pacto quis genus ſupplicii, quod in noſtra lege memoratur, a parricidii poena differre tuto negare poſſit [o]). Alia igitur via erit incedendum, ac potius *peculiaris de perduellione lex* intelligenda, quam Tullus in irrogando iſto priuilegio ſine dubio ante oculos habuit, et cuius poena haec fuit, vt reus, capite obnupto, inter verbera in crucem ageretur. Vbinam autem illam legem quaeremus? Hoc conſilio ad HALICARNASSENSEM refugimus, qui accuſatores Horatii prouocaſſe ait ad *νόμες τὲς ὐκ ἐῶντας ἄκριτον ἀποκτείνειν ὐδένα* [p]). Aut hic, aut nuſquam latebit lex, ex qua Tulli priuilegium fluxit.

Ne igitur lectores diutius de noſtra opinione incerti haeſitent, ad *tertiam* huius diſceptationis partem progrediemur, et, qualem hoc loco intelligamus *perduellionem*, exponemus. Facinus Horatii quicunque diligenter conſiderauerit, ſiue LIVIVM, ſiue DIONYSIVM auctorem ſequatur, inueniet, ſororem eius non ſine culpa ſua, quae in republica tam feroci, qualis Roma tunc erat, ſceleri proxime accedebat, fratris indignationem in ſe conuertiſſe. Quid enim durius, quam victorem de patria, ſua virtute ſeruata, exſultantem, ob necem ſinguli hominis, qui praeterea hoſtis eſſet

I 2 populi

n) in *Notis ad* FESTVM v. *Subici.*

o) Nec placet nobis, vt hoc obiter moneamus, GEBAVERI coniectura, qui *l. c.* p. 66. *parricidium* dici putat pro *paricidio*, i. e. parium caede. Repugnat enim huic etymologiae PLVTARCHI auctoritas, qui in *vita Romuli*, c. 22. Vol. I. pag. 128. haec habet: *ἴδιον δὲ, τὸ μηδεμίαν δίκην κατὰ πατροκτόνων ὁρίσαντα, πᾶσαν ἀνδροφονίαν πατροκτονίαν προσειπεῖν· ὡς τὲτε μὲν ὄντος ἐναγῆς, ἐκείνε δὲ ἀδυνάτε.* Videtur potius Romulus eo conſilio nomen funeſtum parricidii applicuiſſe cuiuis etiam ſimplici homicidio, vt atrocitas eius eo manifeſtior fieret, quo propius accederet nomen delicto, cuius ne exemplum quidem locum inuenturum eſſe credebat legiſlator.

p) Lib. III. c. 22. Vol. I. p. 467.

populi Romani, acerbiſſimis conuiciis proſcindere, et ita publicam laetitiam domeſtico dolori poſtponere? Ac profecto virgo, ſi ſuperſtes fuiſſet, poenam intempeſtiui doloris publice aliquando luiſſet, quod oblita patriae hoſtem luxerat. Sed, quantacunque fuerit delicti ab ea commiſſi atrocitas, nondum tamen fuerat eo tempore, quo frater eam necauit, per ſententiam capitis damnata; condemnatio autem iuxta leges a DIONYSIO laudatas omnino neceſſaria erat, vt quis ob ſcelus perpetratum a quouis poſſet impune occidi. Neglecta lege Horatius ſororem, obnoxiam quidem poenae ob ſalutem publicam poſthabitam, necdum tamen legitime damnatam, interfecit: vtrum hoc parricidium, an perduellio? Parricidium erat caedes cuiuſlibet liberi hominis, ceu FESTVS q) docet: perduellio autem grauius facinus, quod inuolvebat doloſam imperii et cognitionis criminalis, quae tempore Horatii regum propria erat, occupationem a priuato homine factam. Parricidium fiebat ſine ſcelere ab occiſo perpetrato; perduellio non poterat cogitari ſine delicto ab altera parte commiſſo, cuius coercitionem perduellis ſponte in ſe ſuſceperat. Illud non erat, niſi priuata vltio; haec publicam poenam nefario modo praeueniebat: quod quidem facinus tanto ſeuerius prohiberi viſum eſt, quo grauius immineret reipublicae periculum, ſi in delicta nondum probata animaduertere cuilibet e ciuibus licuiſſet. Huic malo occurrebant iam regiae leges; nec defuerunt ſequentibus temporibus repetitae ſanctiones, quibus de ciue indemnato poenas ſumere nefas eſt habitum. Et huiusmodi lege damnatum fuiſſe etiam Horatium, quidni e DIONYSII verbis colligamus? Solus, quem hanc ſignificationem *perduellioni* in loco LIVIANO tribuiſſe vidimus, eſt ANT. CONTIVS r), cuius *Index coniurationum* magna iudicii elegantia et doctrinae apparatu eſt conſcriptus. Vnum ad confirmandam noſtram coniecturam addere placet: quod mirifice eam iuuari exiſtimamus per ritum expiationis, quem ab Horatio,

q) v. *Parici Quaeſtores.*

r) in *Indice citato* apud SCIP. GENTILEM *de Coniurationibus*, p. m. 239. ſq.

Horatio, populi suffragio absoluto, obseruatum narrant LIVIVS et DIONYSIVS HALICARNASSENSIS, quemque in alium, quam verum perduellem, cadere non potuisse, manifestum est.

Tandem de *prouocatione* in hoc iudicio obuia supersunt quaedam non praetermittenda. Ac primum quidem non temere quis quaesiuerit, quomodo Tullus, qui prouocationis auctor Horatio fuerat secundum LIVIVM, ab eodem propterea dici possit *clemens legis interpres*, quam a se ipso primum sancitam, clariorem statim ab initio proponere potuisset? Neque vero sine consilio Tullum legem suam obscurioribus circa prouocationem verbis concepisse dicemus, vt ne pateret, ad quem esset prouocatio. Erat enim proprie prouocatio a duumuiris non ad populum, sed ad Regem, qui iudicandi potestatem Duumuiris fecerat [f]): lex vero de provocatione generatim loquebatur, ne certo constare posset, ad quem esset prouocandum; quod, si Rex expresse non ad se, sed ad populum prouocationem fieri debere, lege ista sanxisset, metueret, ne suae potestati aliquid detraheret; sin vero prouocatio ad Regem fieret, omnis iudicii Duumuiris mandati caussa cessauisset et inuidia iudicii ad illum rediisset. Ac profecto etiam ad Regem, qui Horatium nullo modo absoluere potuisset, prouocatum fuisset, nisi ipse Rex, *clemens legis suae*, quam studio obscuram conceperat, *interpres*, Horatium, quod non ad se, sed ad populum provocari vellet, admonuisset. Ex iis igitur, quae hactenus disputavimus, sine negotio colligi poterit, singularem hanc caussam, in qua Tullus multa Horatio ob virtutem plane eximiam et recentia merita indulserat, non posse normae loco haberi, cuius instar etiam reliqua maiestatis iudicia sub regibus celebrata fuisse suspicari liceat: imo omnia fere in iudicio Horatiano noua fuisse ac praeter consuetudinem gesta, ideoque nec prouocationis facile ad populum concessae aliud praeter hoc sub regibus exemplum inveniri [t]).

A ce-

f) Docuit hoc VAN DER HOOP *l. c.* pag. 614.

t) Largitur hoc FRANC. CAR CONRADI in Diss. cui titulus: *Ius prouocationum ex*



A celeberrima Horatii cauſſa ad reliqua, quae ſub regibus de iudicio maieſtatis obſeruauimus, noſtra ſe conuertit oratio. De Mettii Fuffetii iudicio, quod itidem ſub Tullo occurrit, illud iam ſupra notauimus, praeuia conſiliariorum ſententia regem id exercuiſſe [u]); nec leue inde ſequi argumentum, quo probari poſſit, reges plerumque eiuſmodi conſilio in cauſſis capitalibus vſos eſſe. Neque mutatam eſſe hanc conſuetudinem a *Seruio Tullio*, tanto fidentius affirmare licet, quo certius conſtat e DIONYSIO et LIVIO, huius regis prae reliquis populare fuiſſe ingenium ac temperatum imperium. Quamquam enim a DIONYSIO HALICARNASSENSI [x]) dicitur publica delicta a priuatis primus ſeparauiſſe, ac de publicis quidem ipſe ſolus cognouiſſe, priuatorum vero iudices priuatos conſtituiſſe: tamen ne publicorum quidem curam eum ſine vllo conſilio in ſe ſuſcepiſſe, haud temere eſt ſtatuendum, quum non ſolum ipſe DIONYSIVS paullo ante monuerit, Tullium dimidiam partem de regia poteſtate detraxiſſe, ſed etiam e LIVII [y]) narratione

ex antiquitate Romana erutum, (Lipſ. 1723) §. 9. et 10. quamquam ius prouocationum ipſum iam ſub regibus apud populum fuiſſe contendit. Quam quidem opinionem ſatis dextere refutauit VAN DER HOOP *l. c.* pag. 614. ſqq. vſus in primis argumento legis Valeriae ac teſtimonio DIONYSII HALICARNASSENSIS Lib. VII. c. 41. Vol. III. p. 1400. nec non CICERONIS in Or. II. *de Lege Agraria* c. 13. et *de Orat.* Lib. II. c. 48.

u) Hinc etiam Tullus in oratione ad populum habita, quam exhibet DIONYSIVS HALICARNASSENSIS Lib. III. c. 29. Vol. I. p. 499. de pluribus iudicibus in Albanorum cauſſa loquitur: Μέτιον δὲ καὶ τὲς σὺν τέτῳ βελεύσαντας τὴν προδοσίαν, δίκας ὑποσχεῖν, ἃς ἡμεῖς τάξομεν δικαςαὶ περὶ ἑκάςε τῶν ὑπαιτίων καθεζόμενοι. ἐδένα γὰρ ἀποςερήσομεν κρίσεως ἐδὲ λόγε: vnde ſimul patet, reis in hoc iudicio licuiſſe cauſſam dicere et ſe defendere, perinde ac libera republica. Confirmat hoc idem ſcriptor c. 30. ſub fin. vbi Rex in ſocios proditionis dicitur conſtituiſſe δικαςήρια.

x) Lib. IIII. c. 25. Vol. II. pag. 700. τῶν γὰρ πρὸ αὐτὲ βασιλέων ἁπάσας ἀξιέντων ἐφ᾽ ἑαυτὲς ἄγειν τὰς δίκας, καὶ πάντα τὰ ἐγκλήματα τά τε ἴδια καὶ τὰ κοινὰ πρὸς τὸν ἑαυτῶν τρόπον δικαζόντων, ἐκεῖνος διελὼν ἀπὸ τῶν ἰδιωτικῶν τὰ δημόσια, τῶν μὲν εἰς τὸ κοινὸν φερόντων ἀδικημάτων αὐτὸς ἐποιεῖτο τὰς διαγνώσεις, τῶν δὲ ἰδιωτικῶν ἰδιώτας ἔταξεν εἶναι δικαςάς.

y) Lib. I. c. 49. *Cognitiones capitalium rerum ſine conſiliis per ſe ſolus exercebat*: de Tarquinio Superbo, quem paullo poſt *primum* narrat *regum traditum a prioribus morem de omnibus ſenatum conſulendi ſoluiſſe et domeſticis conſiliis rempublicam adminiſtraſſe.*

ne idem cum aliqua probabilitate elici poſſit. Verum hic non poſſumus non diſſentire ab iis, qui DIONYSIVM putant tantum de crimine laeſae reipublicae eſſe loquutum, et vnius huius delicti cognitionem Seruium ſibi reſeruaſſe autumant [z]. Imo videtur potius DIONYSIVS ad omnia crimina, quae publica poena vindicarentur, reſpexiſſe: quod manifeſte patet ex oppoſitis ἰδιωτικοῖς ἀδικήμασι, i. e. iis, quae tantum ad priuatam ſatisfactionem tenderent, et ab ipſo etiam DIONYSIO confirmatur, qui δημόσια ἀδικήματα explicat per τὰ εἰς τὸ κοινὸν φέροντα [a]. Sub vltimo denique Romanorum rege, *Tarquinio Superbo*, miſerrimam habuere faciem cum omnia iudicia, tum de maieſtatis potiſſimum crimine cognitiones, vtpote quibus artificio tyrannorum proprio vſus eſt Princeps ſaeuiſſimus ad optimos quoſque a ſe remouendos. Hunc primum fuiſſe, qui ſine conſilio adhibito de omnibus cauſſis ſolus iudicaret, aliquoties iam monuimus; hinc *occidere, in exſilium agere, bonis mulctare poterat non ſuſpectos modo aut inuiſos, ſed vnde nihil aliud, quam praedam ſperare poſſet* [b]. Quid mirum igitur, quod de Tarquinii regno idem licet dicere, quod de malis Imperatoribus PLINIVS [c] tradidit, fuiſſe ſcilicet etiam ſub hoc maieſtatis ſingulare et vnicum crimen eorum, qui crimine vacarent? Hinc tuto affirmare poſſumus, ſub nullo rege crebriora fuiſſe ac frequentiora maieſtatis laeſae iudicia, quam ſub Tarquinio, quod diſerte confirmat HALICARNASSENSIS [d] his verbis: ἐπεὶ δ' ἐγκρατῶς ἤδη κατέχειν ὑπελάμβανε τὴν ἀρχὴν, παρασκευάσας ἐκ τῶν ἑταιρειῶν τοὺς πονηροτάτους, δι' ἐκείνων ἦγεν εἰς ἐγκλήματα καὶ θανάτου δίκας

z) e. g. PIGHIVS *Annal.* Tom. I. pag. 49. HOFFMANNVS in *hiſtor. iur.* Vol. II. P. I. pag. 61. ſq. VAN DER HOOP *l. c.* pag. 608.

a) Repetit hanc diſtinctionem DIONYSIVS eod. Lib. c. 36. Vol. II. p. 732. Nobiſcum ſentire videntur GE. D'ARNAVD *var. Coni.* Lib. I. c. 17. et PORTVS, qui recte vertit: *crimina ad rempublicam pertinentia.*

b) LIVIVS *l. c.* Idem teſtatur quoque HALICARNASSENSIS Lib. IIII. c. 42. et 46. Vol. II. p. 747. et 757.

c) in *Panegyr.* c. 42.

d) Lib. IIII. c. 42. Vol. II. pag. 747. cf. IDEM *ib.* c. 43. p. 750. ſq.

δίκας πολλὰς τῶν ἐπιφανῶν· πρώτους μὲν τοὺς ἐχθρῶς διακειμένους πρὸς αὐτὸν, οἷς οὐκ ἦν βουλομένοις Τύλλιον ἐκπεσεῖν τῆς ἀρχῆς· ἔπειτα καὶ τῶν ἄλλων οὓς ὑπελάμβανε βαρεῖαν ἡγουμένους τὴν μεταβολὴν, καὶ οἷς πολὺς πλοῦτος ἦν. οἱ δ' ὑπάγοντες αὐτοὺς εἰς τὰς δίκας, ἄλλους ἐπ' ἄλλαις ψευδέσιν αἰτίαις, μάλιστα δ' ἐπιβουλεύειν αἰτιώμενοι τῷ βασιλεῖ, κατηγόρουν ἐπ' αὐτῷ δικαστῇ. ὁ δὲ τῶν μὲν θάνατον κατεδίκαζε, τῶν δὲ φυγὴν, καὶ τὰ χρήματα τοὺς τε ἀναιρουμένους καὶ ἐξελαυνομένους ἀφαιρούμενος, τοῖς μὲν κατηγόροις μικράν τινα μοῖραν ἀπένειμεν, αὐτὸς δὲ τὰ πλείω κατεῖχεν. Hic etiam originem praemiorum, quae delatores et indices criminum, in primis maiestatis, Romae consequebantur, inuenisse nobis videmur; quae, a Tarquinio primum proposita, deinde sub malis potissimum Imperatoribus frequentissima et sine dubio firmissima ac pessima stabiliendae tyrannidis auxilia fuerunt [e]).

§. VI.

POENAE CRIMINIS MAIESTATIS SVB REGIBVS VSITATAE.

Quamquam, quod LIVIVS [a]) dixit, *nulli gentium*, praeter Romanam, *mitiores placuisse poenas*, per omnem huius populi historiam comprobatur, ac propterea, certe antiquioribus reipublicae temporibus, non deprehendere licet magnam suppliciorum ac poenarum apud eos varietatem: tamen non vnam poenarum speciem, quae sub regibus in perduellionis potissimum crimine vsitatae fuerunt, obseruauimus. Primum quidem et frequentissimum supplicii genus, quo etiam Romuli de proditione legem munitam fuisse e DIONYSIO [b]) discimus, fuit deuotio rei deo alicui,

praecipue

e) De accusatoribus et delatoribus eorumque praemiis locus est apud FRANC. POLLETVM in *historia fori Romani*, Lib. IIII. c. 2. p. m. 310. sqq. qui tamen primum eorum vsum in Tarquinii historia obuium haud obseruauit.

a) Lib. I. c. 28.

b) Lib. II. c. 10. Vol. I. p. 258. *εἰ δέ τις ἐξελεγχθείη τούτων τὶ διαπραττόμενος, ἔνοχος ἦν τῷ νόμῳ τῆς προδοσίας, ὃν ἐκύρωσεν ὁ Ῥωμύλος. τὸν δὲ ἁλόντα τῷ βουλομένῳ κτείνειν ὅσιον ἦν, ὡς θῦμα τοῦ καταχθονίου Διός.*

praecipue vero inferis facta. Vnde eiusmodi homo dicebatur *sacer*, et impune a quouis occidi poterat c). Neque ipse reus solum, sed et familia pecuniaque eius diis sacra censebatur, ceu ex FESTO d) apparet. Fuit igitur illo tempore haec proditionis apud Romanos poena consueta, quam etiam de Mettii Fuffetii sociis sumtam esse, nihil impedit, quin statuamus, quum τὸν τῶν λειποτακτῶν καὶ προδοτῶν νόμον, ex quo DIONYSIVS eos punitos fuisse tradit, a Romuli νόμῳ τῆς προδοσίας haud diuersum fuisse, supra iam suspicati simus. Fuffetii ipsius per quadrigas discerpti supplicium propter sceleris atrocitatem primum vltimumque apud Romanos fuit e), vnde in eo non moramur. Singulares vero poenae, quas circa maiestatis delictum iam sub regibus obtinuisse existimamus, sunt inter capitales suspendium in arbore infelici s. cruce f) (cui semper verbera praemittebantur) et praecipitatio ex rupe Tarpeia g): inter non capitales autem exsilium h) et bo-

 norum

c) DIONYSIVS *l. c.* ἔθος γὰρ Ῥωμαίοις, ὅσους ἐβούλοντο νηποινὶ τεθνάναι, τὰ τούτων σώματα θεῶν ὁτῳδήτινι, μάλιστα δὲ τοῖς καταχθονίοις κατονομάζειν, ὃ καὶ τότε ὁ Ῥωμύλος ἐποίησε. cf. FESTVS et *ad eum* SCALIGER v. *Sacer mons*, et *Sacratae leges*, IAC. RAEVARDVS *ad Leges XII. tabularum* cap. 4. in EIVSD. Opp. Tom. I. p. 21. sq. et FRID. PLATNERVS *de LL. sacratis Romanorum*, cap. 2. pag. 26. sqq. Caussam licentiae huius occidendi hominem sacrum affert MACROBIVS *Saturnal.* Lib. III. c. 7. cuius verba haec sunt: *quemadmodum, quod sacrum ad deos ipsos mitti non poterat, a se tamen dimittere non dubitabant: sic animas, quas sacras in coelum mitti posse arbitrati sunt, viduatas corpore quam primum illo ire voluerunt.*

d) v. *Sacratae leges.* Corruptum hunc locum ingeniose restituit PLATNERVS *l. c.* pag. 27.

e) Describunt foedum hoc spectaculum LIVIVS Lib. I. c. 28. et DIONYS. HALICARNASSENSIS Lib. III. c. 30. Vol. I. pag. 502.

f) Haec poena Horatio perduelli minebat secundum LIVIVM Lib. I. c. . cf. TVRNEBVS in *Aduersar.* Lib, IIII. c. 3 et LIPSIVS *de cruce* Lib. I. c. 2. et II. c. 8.

g) de hac vid. IVST. RYCQVIVS *de Capitolio*, c. 4. pag. 45. sqq. Ex DIONYSIO HALICARNASSENSI Lib. II. c. 56. Vol. I. p. 355. obseruauimus, iam Romul[illegible] hoc supplicii genere vsum fuisse: PLVTARCHVS in *vita Romuli* c. 18. Vol. I. pag. 115.

h) Fuit haec filiorum Anci Marci poena, quibus, regno ad Seruium delato, aqua et igni est interdictum, quod in iudicium capitale vocati non comparuerant LIV. Lib. I. c. 41. DIONY[illegible] L[illegible] IIII. c. 5. Vol. II. p. 646 [illegible] exem[illegible] exilii potissimum sub Tar[illegible]nio Superbo reis irrogati habent LIV. Lib. I. c. 49. et DIONYS.



norum publicatio [i]); quibus Tarquinium Superbum metalla, taureas, tuſtes et lautumias addidiſſe, e DIONYSIO HALICARNASSENSI [k]) et EVSEBIO [l]) diſcimus.

DIONYS. HALIC. Lib. IIII. c. 42. Vol. II. pag. 748.

i) DIONYS HALIC. vtroque loco exemplum bonorum publicationis, qua in reos condemnatos animaduerſum eſt, exhibet.

k) Lib. IIII. c. 44. Vol. II. pag. 751. ſq.

l) *Chronic.* Lib. I. pag. 30. ed. SCALIG. cf. IOS. SCALIGER in *Animaduerſſ. ad h. l.* p. 94. et PIGHIVS *Annal.* Tom. I. p. 52. Has tamen poenas tantum humilioris conditionis hominibus irrogari ſolitas fuiſſe, e DIONYSII loco fit probabile.



